Mº del Colegio de la Compª de Jesus Bº de Granada.
R. 2725

POLYANTHEA,

Siue

# PARADISVS POETICVS:

OMNIBVS PROPEMODVM ARboribus, plantis, & ſtirpibus conſitus: omniq́; genere animantium tàm terreſtrium, quàm aquatiliũ inhabitatus: & illuſtrium Poëtarum riuulis, fonticulisq́; irrigatus: ad horum uires cognoſcendas ſtudioſis, præſertim Medicinæ, utiliſsimus.

VNA CVM PENV POETICA, VArijs eſculentis & potulentis, ad uictum quotidianum neceſſarijs, referta.

*AVTORE,*
NICOLAO REVSNERO, LEORINO, autoris damnato
*Poëta* L.& I.C. [redacted]

Editus opera,

IEREMIÆ REVSNERI LEORINI Autoris damnati.

BASILEÆ.

Mº del Colegio de la Compª de Jesus de Granada. R. 2725

POLYANTHEA,

Siue

# PARADISVS POETICVS:

OMNIBVS PROPEMODVM ARboribus, plantis, & ſtirpibus conſitus: omniq; genere animantium tàm terreſtrium, quàm aquatiliū inhabitatus: & illuſtrium Poëtarum riuulis, fonticuliſq; irrigatus: ad horum uires cognoſcendas ſtudioſis, præſertim Medicinæ, utiliſsimus.

VNA CVM PENV POETICA, VArijs eſculentis & potulentis, ad uictum quotidianum neceſſarijs, referta.

*AVTORE*,

NICOLAO REVSNERO, LEORINO, autoris damnato

Poëta L. & I.C. [redacted]

Editus opera,

IEREMIÆ REVSNERI LEORINI. Autoris damnati.

BASILEÆ.

# CLARISSIMO, DOCTISSIMOQVE VIRO, D. GEORGIO VVIRTHIO, PHILOSOPHO, ET *medico excellentiſſimo, cognato ſuo,*

IEREMIAS REVSNERVS LEORINVS. S.D.

PARADISOS Ebræi uocant hortos uoluptatis, & delitiarum. Quam uocē Perſicā eſſe tradit Xenophon: quum de magnificis, & ſumptuoſis regum hortis diſputat: eosq́ non ſolùm omnium plantarum, & ſtirpium uiridaria: ſed & diuerſorum animalium uiuaria fuiſſe ſcribit.

Fx quorum genere eſt Hortulus iſte, non Damaſci, aut Heſperi-dum: ſed Muſarum, & Gratia-rum: qui non modò omnis gene-ris arboribus, & fruticibus, & her-bis conſitus eſt: uerùm etiam om-ni genere animantium, quę in cœ-lo, terraq́ꝫ & aquis uiuunt, cultus, atqꝫ habitatus: & ut aſpectu ſit pul crior, & gratia, atqꝫ odore iucun-dior: Poëtarum illuſtrium fonti-culis rigatus, & floribus exorna-tus eſt: ut nihil deeſſe uideatur ad ſummam uoluptatem, atque dele-ctationem. Sanè epigrammata ple raque ſunt ipſius auctoris: quem titulus libelli præ ſe fert: ſed acceſ-ſerunt his aliorum quoque Poë-tarum, tàm ueterum, quàm recen-tium ſymbola, in uſum priuatum ab



ab ipſo olim collecta: quò rerum omnium in mundo & naturam, & nomina ſibi notiora redderet. Quem ego librum quum inter car tas anno ſuperiore reperiſſem: e-ius deſcribendi mihi copiam dari initiò poſtulaui: deinde quum à pluribus eundem paſsim deſide-rari animaduerterem: prius rogan do deſiſtere nolui: quàm edendi & publicandi eius facultatem im-petrarem. Conceſsit equidem mi-hi ille: ſed ægrè, & difficulter ad-modū conceſsit poſtulationi meę: propterea quòd Opuſculum hoc ab ipſo inchoatum, ad finem per-ductum non eſſet: cui extremam li neam apponere nullo modo ſibi liceret: tum ob negocia publica, atque domeſtica: tum ob alienam

profeſsionem, & ab hoc ſtudio quodammodò abhorrentem. Sed culpam omnem, ſi qua futura eſſet, me præſtiturum recepi. Spero autem, uel planè potius confido: laborem hunc omnibus literatis non improbatum iri: utilemq́ fore, & acceptum diſcentibus. Tibi uerò, clariſsime uir, & cognate cariſsime, Paradiſum hunc Poëticũ inprimis mittere uolui: ipſo auctore uolẽte, & iubẽte: ut & acceptorũ beneficiorũ memoriã renouarẽ: & beneuolentiã, obſeruantiãq́ erga me tuam declararem. Sed & aliam habeo cauſam inſtituti mei. Floret enim familia, & gens tua hactenus multis claris, & doctis uiris: præſertim in medicina: quæ ab his olim illuſtrata: nunc per te mirum



rum in modum aucta, & nobilitata eſt, quando ſub Carolo V. Romanorũ Imperatore, & mox ſub filio eius Philippo, Rege Hiſpaniæ, ſummis, & clariſsimis heroibus, magna cum laude medicinã feciſti: à quorũ latere uix ulla tibi diſcedendi poteſtas data fuit. Qua laude incitati, multi alij ex familia tua, totos ſeſe hactenus literis mancíparunt: in quibus & ſummam dignitatem adepti: & maximos honores conſecuti ſunt: de quib. plura dicere hoc loco ſuperſedeo. Peto igitur, & maiorem in modum te rogo: ut & munus hoc leuidenſe boni conſulas, & in fidem, clientelamq́ tuam me benignè recipias.

Bene uale, uir clariſsime. Calend. Sextilibus. Anno D. M. LXXVII.

# LAVDES HORTVLI.

## EX P. VERGILII MARONIS Epigrammatis.

*Adeſte Muſæ maximi proles Iouis:*
*Laudes feracis prædicemus hortuli.*
*Hortus ſalubres corpori præbet cibos:*
*Varioſq; cultus ſæpe cultori refert:*
*Olus ſuaue: multiplex herbæ genus:*
*Vuas nitentes, atq; fœtus arborum.*
*Non deſit hortis & uoluptas maxima:*
*Multiſq; miſta commodis iucunditas.*
*Aquæ ſtrepentis uitreus lambit liquor:*
*Sulcoq; ductus irrigat riuus ſata.*
*Flores niteſcunt diſcolore gramine:*
*Pinguntq; terras gemmeis honoribus.*
*Apes ſuſurro murmurant gratæ leui:*
*Quum ſumma florum, uel nouos rores legunt.*
*Fœcunda uitis coniuges ulmos grauat:*
*Textaſq; inumbrat pampinus arundines.*
*Opaca præbent arbores umbracula:*
*Probibentq; denſis feruidum Solem comis.*
*Aues canoros garrulæ fundunt ſonos:*
*Et ſemper aures cantibus mulcent ſuis.*

Oble-



*Oblectat hortus, aduocat, paſcit, tenet:*
*Animoq; mœſto demit angores graues.*
*Membris uigorem reddit: & uiſus capit:*
*Refert labori pleniorem gratiam:*
*Tribuit colenti multiforme gaudium.*

## IOAN. FRIDERICO HAINZELIO IOAN. BAPTISTÆ F. PATRICIO *Auguſtano.*

Faunus amat ſyluas, hortos Pomona uirentes:
  Sunt comites Dryades, Flora, Diana, Pales.
Quæ tot Dij, Diuæq; colunt, cole iugera mecum:
  Conſita felici IAN FRIDERICE manu.
Poma, nucesq; legens, & glandes arbore multas
  Fortè feres pleno plena caniſtra ſinu.

NICO.



# NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII, P. L.

## POMARIVM POETICVM.

### Ficus.

*Prima ueni ficus, primi tibi conſcia lapſus:*
  *Pro fructu folium, pro dape damna dabas.*

*

*Vere nouo, florum nullo ueſtitur honore*
  *Ficus: at autumno dulcia poma gerit.*

*

*Scit præſtare ſuos, nec ſcit promittere cenſus:*
  *Atq; ferax adeò floris honore caret.*

### Ficus Indica.

*Explicat umbrantes ficus latiſſima ramos*
  *Indica: iucundo poma ſapore placent.*

### Ficus Chia.

*Infanti melimela dato, fatuasq; mariſcas:*
  *Nam mihi quæ nouit pungere, Chia ſapit.*

### Ficus Picena.

*Picenas ficus, & Iberis inſita pruna,*
  *Pomaq; nectareis accipe mixta piris.*

Ficus

Ficus Africana.

*Sum ficus Libyæ: per me Carthago ſuperba*
*Corruit: & per me tanta ruina fuit.*

*

*Euertit magnas ficus Carthaginis arces,*
*Vicinosq; hoſtes: hoc Cato teſte probat.*

Ficus Cecropia.

*Phytalus hoſpitio Cererem ſuſcepit: & inde*
*Cecropiam ficum nomen habere putant.*

Ficus Gallicana.

*Fertilis, at raras quas gignit Gallia ficus*
*Accipe: nam raros non niſi rara decent.*

Ficus Ægyptia.

*Quæ morum, ficumq; refert, lac cuſpide ferri*
*Scalpta dat: hinc pomum, quum libet, eſſe licet.*

Romula.

*Arbor erat: remanent ueſtigia: quæq; uocatur*
*Romula nunc ficus, Rumina ficus erat.*

Caprificus.

*Rupibus aërijs, ſummiq; crepidine ſaxi,*
*Immites fructus ficus acerba parit.*

Mariſca.

*Cæduntur tumidæ, medico ridente, mariſcæ:*
*Quîs nomen uilis uile mariſca dedit.*

*

*Mariſca in agris degener,*
*Horrens, inersq; naſcitur*

Tan-



*Tantum focis, & ignibus:*
*Ludit uiatoris famem:*
*Fallit coloni gratiam.*

*

*Fœcunda ficus, fructibus*
*Eſt nota de dulciſsimis:*
*Suæ arbori pulcrum decus:*
*Suoq; cultori cibus:*
*Aluo bona, & pulmonibus*
*Lactente ruma carpitur.*

Olea.

*Quid me uexatis ramis? ſum Palladis arbor:*
*Auferte hinc botros: uirgo fugit Bromium.*

*

*Quid poſſunt hederæ Bacchi dare? Palladis arbor*
*Inclinat uarias pondere nigra comas.*

*

*Candida Palladiæ ſunt munera ramus oliuæ:*
*Cui uis nulla hyemis, frigora nulla nocent.*

*

*Si benè floruerint oleæ, nitidiſsimus annus:*
*Si benè floruerit uinea, Bacchus erit.*

Oleaſter.

*Appulus ecce nouis oleaſter frondibus extat:*
*Iamq; notam linguæ fructus amarus habet.*

Syl-

*

*Sylueſtres oleæ nè uitibus inſere truncos:*
*Pinguis alit furtim ſparſos, & concipit ignes.*

Vitis.

*Vitis ut arboribus decori eſt: ſic uitibus uuæ:*
*Sic gregibus tauri: ſegetes ſic pinguibus aruis.*

*

*Quot noua terra parit flores: tot uere tepenti*
*Vitis agit gemmas, quum pigra fugit hyems.*

*

*Terrigenûm tellus in uites oſſa redegit*
*Cæſorum: & uinum eſt, qui modò ſanguis erat.*

*

*Vite ſacra nihil eſt prius: hanc & uiuus amaui:*
*Impoſitam tumulo mortuus hanc & amem.*

Palma.

*Hæc ramis, tanquàm digitis, ſublimè renitens*
*Ponderibus, ſuperam monſtrat ad aſtra uiam.*

*

*Pondere non premitur, ſed ſurſum palma reſurgit:*
*Hinc ſibi uictores ſigna ſuperba petunt.*

*

*Immatura ſitim Pharia arcet palma: eadem*
*Senſus præpedit, & linguam matura ligat.*

Malus.

*Cana ferens malus tenera lanugine mala,*
*Auſpicium fertur triſte dediſſe mali.*

*Malis*



*

*Malis poma decus: ſed glandes quercubus altis:*
*Et uitulæ matri: matres paſtoribus ipſis.*

Malus Medica.

*Media fert citrum felix: felicia mala*
*Citrus: agunt membris atra uenena procul.*

*

*Sunt & Apollineam folijs imitantia laurum:*
*Quæ ramos curuent Medica poma ſuos.*

Malus Cydonia.

*Poma nouis tribui debere Cydonia nuptis*
*Dicitur antiquus conſtituiſſe Solon.*

Malus Punica.

*Pallenti ſæuos depellunt corpore morbos:*
*Arentemq; leuant Punica mala ſitim.*

Malus Perſica.

*Fert folium linguæ, fert poma ſimillima cordi*
*Perſicus: externa facta ſalubris humo.*

*

*Perſia fert linguæ ſimiles, ſacra Iſidi, frondes:*
*Typumq; cordis poma turgida exprimunt.*
*Sermo index animi, de numine ſentit apertè:*
*Cor cæco operculo intus arcanum tegit.*

Malus Armeniaca.

*Armenios fuimus tantùm quæ nota per agros:*
*Nunc quoq; Germanis menſa ſecunda ſumus.*

*Pirus.*

Pirus.

*Vita piro breuis eſt: perdit temeraria fructus:*
*Certamen grauis at fertilitatis habet.*

Piraſter.

*Infelix uictus ſylueſtris bacca piraſtri:*
*Inſita ſed ramis, fert pira grata gulæ.*

Pomaſter.

*Cultus & in pomis ſuccos emendat acerbos:*
*Fiſſaq; adoptiuas accipit arbor opes.*

Prunus.

*Sint gratus mihi pruna cibus: qui debile corpus*
*Subleuat: & leni uiſcera mollit ope.*

Prunus Damaſcena.

*Barbara longinquis quæ miſit pruna Damaſcus:*
*Ante cibos aluum ſumpta mouere ſolent.*

Spinus.

*Omnia non fert omnis ager: dat pruna ferentes*
*Spinos, quæ uites, pomaq; terra negat.*

Ceraſus.

*Quæ uario Ceraſus diſtinguit poma colore:*
*Si neſcis, arbos è Ceraſunte uenit.*

*

*Non colitur, Latias qui me tranſuexit in oras:*
*Vitis at inuentor, dic mihi, cur Deus eſt?*

Ziziphus.

*Africa quam miſit, fert baccas ſponte rubentes*
*Ziziphus: hæ tuſsis ſunt medicina malæ.*

Cor-



Cornus.

*Cornu morè riget, bellis accommoda cornus:*
*Quæ primo Zephyro floret, apesq; necat.*

Amygdalus.

*Quæ tibi prima nouo, Calabris denſiſsima campis,*
*Flore uiret: quondam Thræſſa puella fuit.*

*

*Cor properans folijs præmittis amygdale flores?*
*Odi pupillos præcocis ingenij.*

Morus.

*Serior at morus nunquam, niſi frigore lapſo,*
*Germinat: & Sapiens nomina falſa gerit.*

Morus alba.

*Candida morus adeſt: nec habet monimenta cruoris*
*Siue tui Thiſbe, Pyrame ſiue tui.*

Morus rubra.

*Alba fuit morus prius: hanc mutauit amantûm*
*Sors fera: quæ miſeri ſigna cruoris habet.*

*

*Aſſyrios iuuenum monumento teſtor amores:*
*Vinoſi laticis rore placere queo.*

Meſpilus.

*Meſpila fert laxæ medicamina Meſpilus alui:*
*Commoda quæ ſtomacho dant alimenta malo.*

Sorbus.

*Pocula, ſorbe ferax, imitaris uitea ſucco:*
*Pomaq; fers acido grata ſapore gulæ.*

 Ar-

## Arbutus.

*At fontes rara uiridis tegit arbutus umbra:*
*Pomaq; laſciuæ fert inamata gulæ.*

*

*Dulce ſatis humor: depulſis arbutus hœdis:*
*Lenta ſalix fœto pecori: mihi ſolus Amyntas.*

## Labruſca.

*Labruſca cœlebs, horrida,*
*Clauſtris inacceſſa inuijs:*
*Deo repugnat: impijs*
*Damnata uoti legibus.*

## Spina appendix.

*Puniceis ſurgit baccis fœcunda: miniſtrat*
*Cum medicamentis uina, ciboſq; ſuis.*

## Spina acuta.

*Spina refert myrtum baccis, ramiſq; piraſtrum:*
*Cui radix, uteri quæ labefactat onus.*

## Vua ſpina.

*E' tribulis ficus, è ſpinis quis legat uuas?*
*Conuenit at ſpinæ febribus uua meæ.*

## Creſpinus.

*Aemule das boni preſſum Creſpine liquorem:*
*Sanguinis eſt feruor cui grauis, inde bibat.*

## Aqui folia.

*Semper habes frondes: ſucci tibi bacca ſed expers:*
*Quam colis, haud intrant toxica ſæua domum.*

Ri-



## Ribes duplex.

*Altera capreolos, Ribes fert altera baccas:*
*Mitigat hæc æſtus: ſedat at illa ſitim.*

## Sambucus.

*Fert acinos paruos, & triſtia poma Sabucus:*
*Ligna dabunt forti ſcuta gerenda manu.*

## Ebubus.

*Sanguineas Ebulus baccas creat uuida: fumus*
*Serpentum procul hinc agmina dira fugat.*

## Staphylodendron.

*Sambucum folijs imitatur: folliculiſq;*
*Quos edit, fructus nucleus intus habet.*

## Terebinthus.

*Sudat odoratam reſinam Terebinthus Eoa:*
*Illa ſalutaris ſæpe medela fuit.*

## Lotus.

*Fert baccas Lotus, Tyrios imitata colores:*
*Quos paſcit, memores non ſinit eſſe ſui.*

*

*Longa reuertendi faciens obliuia lotus,*
*Guſtantes reditus non meminiſſe facit.*

*

*Impia Dulichio lotos guſtata palato,*
*Illo, quo nocuit, grata ſapore fuit.*

*

*Heu fugias Loton: captos dulcedine loti*
*Naricium ſocios deſtituiſſe ferunt.*

 Perſea.

### Perſea.

*Fertilitate potens, & ſucco nobilis arbor:*
*Læta beat Pharij Perſea culta Soli.*

### Lentiſcus.

*Lentiſcus triplici grandeſcit frondea fœtu:*
*Ter fundens fruges, tria tempora monſtrat arandi.*

### Phillyrea.

*Quæ folijs oleam, lentiſcum fructibus æquat:*
*Aſpera ſaxoſi culmina montis amat.*

### Liguſtrum.

*Candida, nec niueis ceſſura liguſtra pruinis,*
*Vlceribus præſens ſunt medicina malis.*

### Laurus.

*Nympha fui Phœbi quondam: nunc gloria belli,*
*Pacis honos, frontisq; decus, uatumq; corona.*

*

*Illa Deûm lætis olim geſtata triumphis:*
*Claraq; Phœbeæ laurus honore comæ.*

*

*Ille amat, hæc odit: fugit hæc, ſectatur at ille:*
*Dumq; fugit, laurus facta repentè riget.*

*

*Sacra die uernat Daphnes Peneïdos arbos:*
*Quam tribuit uirtus, fama perennis erit.*

*

*Sacra uiret ſemper laurus: nec fronde caduca*
*Carpitur: æternum ſic habet illa decus.*

Miſſa



*

*Miſſa triumphalem non tangunt fulmina laurum:*
*Cingunt hac uates tempora læta ſacri.*

*

*Præſcia uenturi, laurus fert ſigna ſalutis:*
*Subdita puluillo Somnia uera facit.*

### Laurus Alexandrina.

*Laurus Alexandri quæ cinxit tempora Magni:*
*Si neſcis, uoto parturientis adeſt.*

### Rhododaphne.

*Roſcidus at uiridem qui ueſtit flos Rhododaphnen,*
*Pabula dat capris, funera dira uiris.*

### Hedera.

*Frondibus ex hederæ datur apta corolla Poëtis:*
*Qui pallent ſtudijs, laude perennè uirent.*

*

*Nunc hederæ ſine honore iacent: operataq; doctis*
*Cura uigil Muſis, nomen inertis habet.*

*

*Non quercus te ſola decet, nec laurea Phœbi:*
*Fiat & ex hedera ciuica noſtra tibi.*

### Myrtus.

*Tu dilecta Dijs flores, & amantibus arbos*
*Myrtus odoratis, perpetuiſq; comis.*

*

*Summa petant alij: myrtum ueneramur amantes:*
*Si mereor, crines ambiat illa meos.*

 Iuni-

## Iuniperus.

*Fronde uirens ſemper, carie uix læditur unquàm:*
*Iuniperi lædit ſed grauis umbra caput.*

*

*Imbres, atq; niues arbos, & frigora temnit:*
*Frondibus, & uiridi ſemper circundata ramo.*

## Siliqua Græca.

*Aſſueſcunt ſiliquæ uiridi molleſcere ſucco:*
*Et gremio paſcunt cætera poma ſuo.*

## Tuber.

*Lecta ſuburbanis mittuntur apyrina ramis,*
*Et uernæ tuberes: quid tibi cum Libycis?*

## Piſtacium.

*Et iecur, & renes piſtacia manſa iuuabunt:*
*Præſtant, quæ Syriæ fundit opimus ager.*

## Nux.

Ouid. *Nux ego iuncta uiæ, quum ſim ſine crimine tota,*
*A' populo ſaxis prætereunte petor.*

## Nux iuglans.

*Fructus obeſt: peperiſſe nocet: nocet eſſe feracem:*
*Quæq; fuit multis, eſt mihi præda malo.*

*

*Quid mihi profuerit, quod ſim fœcunda, parensq;.*
*Me miſeram, fructus in mea damna tuli.*

## Corylus.

*Plantis eduræ coryli naſcuntur: Auella*
*Campani quas fert urbs celebrata ſoli.*

Ca-



## Caſtanea.

*Caſtaneas molles, depulſis cogit echinis:*
*Inq; cibum glandes ruſtica turba legit.*

*

*Stant & iuniperi, & caſtaneæ hirſutæ:*
*Strata iacent paßim ſua quæq; ſub arbore poma.*

## Pinus.

*Prima malas docuit mirantibus æquoris undas,* Ouid.
*Peliaco pinus uertice cæſa, uias.*

*

*Grata Deûm matri, Syluarum gloria pinus:*
*Pinea dat uentri dulcia poma meo.*

*

*Cernis, uti pinus Cybeleia poma remittant:*
*Cernis, uti rurſus ſæpe remiſſa parent.*

## Fagus.

*Frondibus tot ingens arbos, nemoroſaq; fagus:*
*Pingues carne ſues glans, hilareſq; facit.*

*

*Fagina glans homini fuit antè, an ueſca iuglãs? glans:*
*Alta poli, ſicut ponti ſecat ima pagrus, grus.*

*

*Glande patres aluit quercus, faguſq; uetuſtos:*
*Sed modò non cibus eſt: profuit umbra tamen.*

## Ilex.

*Quercus amica Ioui: tumulos tectura Cupreſſus:* Claud.
*Ilex plena fauis: uenturi præſcia laurus.*

B 4 Duricie

*

*Duricie nimia quòd ſeſe rumperet Ilex:*
*Symbola ciuilis ſeditionis habet.*

Quercus.

*Grata Ioui quercus, qui nos conſeruat, alitq́;:*
*Seruanti ciuem querna corona datur.*

*

*Sacra Ioui quercus firmis radicibus hæret:*
*Et tamen aridulas huic capit aura comas.*

*

*Parua fuit quondam, ſed nunc ſe tollit in auras:*
*Effuſaq́; comas Chaonis arbor habet.*

Robur.

*Fundatura rates, innataq́; rupibus altis,*
*Educat arboreum robora denſa nemus.*

*

*Glande ſua quondam magnos heroas alebat*
*Cura Deûm, quercus ſancta, piumq́; nemus.*

Æſculus.

*Aeſculus æthereas ſe uertice tollit ad auras:*
*Et radice ſua Tartara cæca premit.*

Cerrus.

*Saginans porcos, ſolidam glans cerrea carnem,*
*Sed duram (præſtat fagea nempe) facit.*

Suber.

*Si facies crepidas: ſoleas dat ſuber agreſte:*
*Mergitur haud ullis corticis arbor aquis.*

Colu-



Colutea.

*Lanigeras impinguat oues durabilis arbor:*
*Propria quæ Liparæ creditur eſſe ſacræ.*

Colytea.

*Flore carens, fructuq́;, ſub altæ collibus Idæ,*
*Laurino folio, ſed bicolore, uiret.*

Platanus.

*O' dilecta Dijs, ô magni Cæſaris arbor:*
*Frondibus umbriferis ſidera celſa petis.*

*

*Nec platanus, niſi ſera, poteſt obſiſtere uentis:*
*Et lædunt nudos prata nouella pedes.*

Buxus.

*Perpetuus mihi fronde uiror: ſine munere truncum*
*Eſſe putas: & me ſedula quærit apis.*

*

*Innumera buxus componit imagine frondes:*
*Vnde ſuæ Triton Doridi ſexta legit.*

*

*Quàm iuuat egregio criſtatas ordine buxos*
*Cernere: quæ circum mollia prata uirent.*

Cedrus.

*Quæ creſcit Phrygiæ madidis in uallibus Idæ:*
*Perpetuis frondet Cedrus odora comis.*

Cupreſſus.

*Tu luges alios, & ades lugentibus omni*
*Tempore: munus habes, quod, Cypariſſe, rogas.*

 Flebat

*

*Flebat adhuc mœrens ceruo Cypariſſus adempto:*
*Quum ſua conſpexit cortice membra tegi.*

*

*Ite procul futiles aliorum in prælia blattæ:*
*Noſter adulantes neſcit amare decor.*

Sabina.

*Eſt & iunipero ſimilis, niſi diſtet odore,*
*Arbos, à patrio dicta Sabina ſolo.*

*

*Educit fœtus utero iam luce carentes:*
*At uiuos ſubita morte Sabina necat.*

Ebenus.

*Diuiſæ arboribus patriæ: ſola India nigrum*
*Fert Ebenum: durus cæſa fit illa lapis.*

Larix.

*Tu cariem neſcis, nec ui conſumeris ignis:*
*Flore carens, folijs inuiolata larix.*

Viſcum.

*Frigore brumali, quod non ſua ſeminat arbos,*
*Fronde noua Viſcum, perpetuaq; uiret.*

Abies.

*Apta fretis abies, in montibus editur altis:*
*Commoda fert ſecum ſors mala ſæpe ſua.*

*

*Aſpicis ut creſcens abies ſuper æthera ſurgat:*
*In cœlum ſummo fine minante comas.*

Picea.



Picea.

*Pullulat à radice tibi quòd nulla propago:*
*Index es thalami, qui ſine prole fuit.*

Pinaſter.

*Quæ ſuccincta comas, hirſutaq; uertice, nubes*
*Aequat: in undoſo mox uolat acta ſalo.*

*

*Pinus humi Cauro ſum ſtrata: quid in mare ducor*
*Naufraga trabs: nondum uiſa natare ſalo?*

Ornus.

*Fluminibus ſalices, craßisq; paludibus alni*
*Naſcuntur: ſteriles ſaxoſis montibus orni.*

Alnus.

*Qui dubijs auſus committere flatibus alnum:*
*Quas natura negat, præbuit arte uias.*

Fraxinus.

*Fulua comas arbos eſt fraxinus, utilis haſtis:*
*Fraxina ſi neſcis, Pelias haſta fuit.*

Populus.

*Fratris inexpletum dum triſtia funera deflent*
*Heliades: cortex pectora durus obit.*

*

*Haud natum in flamma uidiſſet, in arbore natas:*
*Cepiſſet genitor ſi Phaëthonta Merops.*

*

*Herculeos cineres bicolor quòd populus ornat:*
*Temporis alternat noxq;, dieſq; uices.*

Popu-

### Populus Alba.

*Populus Alcidæ gratiſsima: uitis Iaccho:*
*Formoſæ myrtus Veneri: ſua laurea Phœbo.*

### Populus Nigra.

*Fraxinus in Syluis pulcherrima: pinus in hortis:*
*Populus in fluuijs: abies in montibus altis.*

### Betula.

*Betula uirtutis, diſciplinæq; magiſtra:*
*Arboribus prior eſt omnibus una ſacris.*

### Vlmus.

*Pampineæ uites, & amictæ uitibus ulmi,*
*Dulcis amicitiæ fœdera ſancta notant.*

*

*Vlmus amat uitem: uitis non deſerit ulmum:*
*Coniuge ſic coniux gaudet amata ſuo.*

*

*Vidi ego pampineis oneratam uitibus ulmum:*
*Quæ fuerat ſæuo fulmine tacta Iouis.*

*

*Fer bone Liber opem: ſic altam degrauet ulmum*
*Vitis: & incluſo plena ſit uua mero.*

*

*Stratus humi palmes uiduas deſiderat ulmos:*
*Et collapſa ruunt ſubductis tecta columnis.*

### Tilia.

*Sæpe lares oluit tiliæ leuis arbor opaca:*
*Creuit & effuſo lætior umbra mero.*

Acer.



### Acer.

*Tigna dat arbor acer laqueata, trabesq; decoras:*
*Lætatur ſacram quam Stupor eſſe ſibi.*

### Carpinus.

*Si tibi non lucent ceræ, nec pinguia ſeua:*
*Carpinus tædas fiſſa, facesq; dabit.*

### Taxus.

*Cyrnæas moneo fugiant examina taxos:*
*Sola uiatores arboris umbra necat.*

*

*Quum taxus lethum mortalibus afferat omnis:*
*Eſt dulcis fructus, Taxe benigne, tuus.*

### Myrica,

*Artibus in medicis fertur uis magna myricæ:*
*Splen amat è trunco pocula facta tumens.*

### Erica.

*Tàm flos, quàm coma uiroſis medicatur Ericæ*
*Morſibus: autumno flos malè paſcit apes.*

### Onagra.

*Pota mero radix, uinum redolentis onagræ,*
*Emollit mores, nec ſinit eſſe feros.*

### Salix.

*Frugiſperda ſalix, perdis ſi ſemina uentris:*
*Iam meritò ſemen perdis & ipſa tuum.*

*

*In plano ſalices, oleas in colle ſupino*
*Ponit: & auulſis ſentibus auget agrum.*

Mors

*

*Mors ſalici exceſæ ſimilis: quam lenta uetuſtas*
*Rodit, & abſumens uermis auara terit.*

Siler.

*Sponte ſua uenit, & campos, & flumina latè*
*Curua tenet, folijs utile, molle ſiler.*

Vitex.

*Caſta uitex caſti ſeruat ſine labe pudoris*
*Dulce decus: caſtus dicitur unde frutex.*

Geniſta.

*Pampineas uites lenta religato geniſta:*
*Flos apibus dulcis ſit ſine felle cibus.*

*

*Nec refloreſcunt, quæ iam cecidêre, geniſtæ:*
*Nec redeunt, qui iam præteriêre dies.*

Anagyris.

*Smilaca tu ſimulas fructu: ſed flore geniſtam:*
*Seminibus renes: & folijs uitices.*

Cynocrambe.

*Lenta quidem, ſed olens malè, uimina dat Cynocrãbe*
*Lenta: canes ſubitò manſa, luposq́; necat.*

Ruſcus.

*Aſpera dat uiti per ſyluam uimina ruſcus:*
*Si neſcis, myrtus Cypria talis erat.*

Cytiſus.

*Lac tibi non æſtate nouum, non frigore deſit:*
*Si cytiſo capras paſcis, ouesq́; leui.*

Ru-



Rubus.

*Vix ſterilis locus ullus ita eſt: ut non ſit in illo*
*Mixta ferè duris utilis herba rubis.*

*

*Cultus humum quondam Cerealia pendere iuſsit*
*Munera: mordaces interiêre rubi.*

Rubus Idæus.

*Mora rubus profert Idæus acerba: rubetis*
*Tuta ſimul tetris luſtra dat, atq́; domos.*

Rubus Canis.

*Quæ fructum nucleo ſimilem fert arbor oliuæ:*
*Sed plenum floccis: eſt rubus illa canis.*

Dumus.

*Terra creat dumos tantùm neglecta rubentes:*
*Culta parit fructus ingenioſa ſuos.*

*

*Nil niſi fert duris ſurgentia gramina dumis:*
*Vomere ſi crebro non renouatur ager.*

Rhamnus.

*Flore quidem gratus rhamnus, ſed ſentibus aſper:*
*Præbuit hic Chriſto ſerta cruenta Deo.*

Halimus.

*Prætendit ſegeti ſepes, & oluſcula menſæ:*
*Creditur hæc ſolùm pellere morſa famem.*

Paliurus.

*Pro molli uiola, pro purpureo narciſſo*
*Carduus, & ſpinis ſurgit paliurus acutis.*

Ly-

Lycium.

*Qui Lyciæ dumeta tenet Pataræus Apollo,*
*Nomine me uoluit nomen habere ſuo.*

Acacia.

*Spina dat in ſiliquis molles Aegyptia fructus:*
*Flore ſuas ornant uirgo, puerq́; comas.*

Ciſtus.

*Saxa tenet ciſtus, folijs hirſuta rotundis:*
*Cytinus dura quam prope ſurgit humo.*

Ladanum.

*Pingue quidem barba Ledum laſciua capella*
*Carpit: at hoc carpit ruſticus ungue domi.*

Coccus.

*Coccina ſanguineo pinguntur pallia cocco:*
*Muricis hunc Galatæ dant, Ciliceſq́; loco.*

Ricinus.

*Qui tauros ſtimulat ricinus, oueſq́;, caneſq́;:*
*Seminis ab formam, nomina fœda dedit.*

Goſsipion.

*Mollitie ſuperat reliquas, candoreq́; lanas:*
*Goßipij quas net uermis in ungue latens.*

Brya.

*Purgabit ueſtes Brya, fructibus æmula gallæ:*
*Parcere uis ſetis? accipe, uerre puer.*

Bdellium.

*Quæ Saracenis arbor nigra creſcit in agris:*
*Bdellia pro lacrymis fundit odora ſuis.*





Rhus.

*Pro ſale, Rhus Syrijs, Pharijſq́; obſonia condit:*
*Pellibus at cortex utilis eſſe ſolet.*

Viburnum.

*Tantum Roma alias inter caput extulit urbes:*
*Quantum lenta ſolent inter uiburna cupreßi.*

Styrax.

*Quid Styrace Idæo flagrantes uirgo capillos*
*Pingis? forma mihi non medicata placet.*

Thus.

*Serus ut ætherea Germanicus imperet aula,*
*Vtq́; diu terris: da pia thura Ioui.*

*

*Quàm thus in Libano ſuaues diffundit odores:*
*Tàm gratos fructus area culta ferat.*

*

*Aſſyrius gemmis, Ser uellere, thure Sabæus:*
*Quælibet eſt diues munere terra ſuo.*

Myrrha.

*Myrrha patrem, ſed non, ut filia debet, amauit:*
*Et nunc obducto cortice preſſa latet.*

*

*Crimen Myrrha fuit, patria ſuccenſa ſenecta:*
*Arboris in frondes condita uirgo nouæ.*

*

*Si citò ſenſiſſes, quantum peccare parabas:*
*Non tegeres uultus cortice Myrrha tuos.*

*

*Illius lacrymis, quas arbore fundit odora*
*Vngimur: & dominæ nomina gutta tenet.*

*

*Arboreò perfert lacrymatas cortice myrrhas*
*Acta per æquoreas hoſpita nauis aquas.*

Balſamum.

*Iactat odorato Syrius ſudantia ligno*
*Balſama: quæ ſanant abſque dolore malum.*

Agallochum.

*Vre nouo puer igne, quod educat India, lignum:*
*Suffitu ſanat cor, recreatq́; ſuo.*

Aſpalathus. Santalum.

*Si ſpinis horret, grato delectat odore*
*Aſpalathus: ſed cor Santala rubra iuuant.*

Amomum.

*Aſſyrij Phœnix ſucco pia uiuit amomi:*
*Infelix hominum, quod caret, ergo genus.*

*

*Si ſapis, Aſſyrio ſemper tibi crinis amomo*
*Splendeat: & cingant florea ſerta caput.*

Cinnamomum.

*Cinnama iactat Arabs: oculis, ſtomachoq́; medentur:*
*Et iecur, & renes, & putre pectus alunt.*





*

*Pœnè iter occluſum, quo per maris æquora rubri*
*Nile tibi diues cinnama portat Arabs.*

Caſsia.

*Membra leuat: bilem purgat: firmatq́; lacertos*
*Caſsia: ui referens cinnama læta ſua.*

Cardamomum.

*Acre quidem guſtu: cerebrum ſed tentat odore*
*Debile: ſuffitu pignora uentre necat.*

Coſtus.

*Mittit odoratum tellus Gangetica coſtum:*
*Pluribus hic morbis commodat, ure puer.*

Piper.

*Semina dat piperis ſiliquis hiſcentibus arbor:*
*Condimenta cibi ſint ea ſæpè tui.*

*

*Quem cupiunt alij, uatem contemnit ubique*
*(Ceu piper omnis Arabs) gens ſua quenq́; bonū.*

Caryophyllum.

*Fert nucis à folio nomen ducentia grana*
*India: & Arabica cinnama lecta manu.*

*

*Infirmi reparant ſtomachi caryophila uires:*
*Aethiopis donat quæ tibi larga manus.*

Sal Indicus.

*Saccara grata cibis tibi dulcis arundo miniſtrat:*
*Liber adi: non te mellea figet apis.*

*

*Indica non magna nimis arbore creſcit arundo:*
*E cuius cannis dulcia mella fluunt.*

Pomona Dea.

*Eſt aliquid plenis pomaria carpere ramis:*
*Et tenui primam deligere ungue roſam.*

*

*Et magis adducto pomum decerpere ramo:*
*Quàm de cœlata ſumere lance iuuat.*





# IO. IACOBO HAIN-ZELIO IO. BAPTISTÆ F. PATRICIO AV-*guſtano.*

Florum gratus odor Nymphis: ſeu Flora uocari,
Seu mauult Chloris, præſidet hiſce Dea.
Carpe roſas mecum: florentia lilia carpe:
Et capiti ſertum texe IACOBE tuo.
Sed propera: florum breuis eſt honor, & breuis ætas:
Defloret uitæ floſculus ecce celer.

# NICOLAI REVSNERI
## LEORINI SILESII
## P. L.

### Roſarivm Poeticvm.

Roſetum.

*Nihil roſeto pulcrius:*
*In quo rubræ cum candidis,*
*Cum Tuſculis Alabandicæ*
*Miſcentur inuicem roſæ.*

Roſa.

*Vt iure Veneri flos eſt ſacratus tuus*
*Venuſta, amœna, dulciter uernans roſa:*
*Homines, deosq́; ſuaui odore recreas:*
*Rerum omnium una tu roſa es pulcerrima.*

*

*Non quiſquam fruitur ueris odoribus:*
*Hyblæos latebris nec ſpoliat fauos:*
*Si fronti caueat: ſi timeat rubos:*
*Armat ſpina roſas: mella tegunt apes.*

*

*Roſa honor, decusq́; florum:*
*Roſa cura, amorq́; ueris:*
*Roſa cœlitum eſt uoluptas:*
*Roſeis puer Cytheres*

Caput



*Caput implicat coronis:*
*Charitum choros frequentant.*

*

*Flore conſpicuas roſas decoro*
*Quas uidit Dea Memnonis uigentes:*
*Has uidit Dea Mænalis iacentes:*
*Spinas ſtare loco uides acutas.*

*

*Quàm longa una dies, ætas tàm longa roſarum:*
*Quas pubeſcentes iuncta ſenecta premit.*

*

*En roſa, quæ ſurgit ſyluestribus obſita ſpinis,*
*Manè uiget, languet ueſpere, nocte cadit.*

*

*Aetatis iubeo ſpecie, dum floreat, uti:*
*Contemnunt ſpinam, quum cecidêre, roſæ.*

*

*Ceu roſa, dum floret, ſpinis torquetur acutis:*
*Sic homo, dum uiuit, fert mala multa miſer.*

*

*Pulcra uelut ſpinas inter roſa ſurgit acutas:*
*Sic floret cœtus per mala multa Dei.*

Roſa alba.

*Lactea ſum, ſed mox flacceſco, & marcida fio:*
*Si ueſtra, ô pueri, forma, decorq́; fugit.*

C 4 Roſa

Roſa purpurea.

*Alba fui quondam, roſei quæ cauſſa coloris?*
*Me proprio tinxit ſanguine pulcra Venus.*

*

*Purpureum quondam roſa, quæ fuit alba, colorem*
*Duxit, Acidaliæ ſanguine tincta Deæ.*

*

*Per ſyluas Cytherea ſuum dum plorat Adonin:*
*Purpureas fecit ſanguine mœſta roſas.*

Roſa Mileſia.

*Communis Paphie Dea ſideris, & Dea floris:*
*Ros unus, color eſt unus, & unus odor.*

*

*Ambigeres, raperet'ne roſis aurora ruborem?*
*An daret, & flores tingeret orta dies?*

*

*Vnde tibi nulla color hic imitabilis arte?*
*Vnde odor? unde tibi gratia tanta Roſa eſt?*

Cynorrhodos.

*Nec ſemper uiolæ, nec ſemper lilia florent:*
*Et riget amiſſa ſpina relicta roſa.*

*

*Vt roſa manè uiget, ſero mox ueſpere languet:*
*Sic modò qui fuimus, cras leuis umbra ſumus.*

Viola.

*Cur uiolas mittis? nempe ut uiolentius urar:*
*Heu uiolor uiolis ô uiolenta tuis.*

For-



*

*Formoſæ uiolæ, Veneris munuſcula uernæ:*
*Florea uos capiti iam date ſerta meo.*

Viola purpurea.

*Flos oculis gratus uiolæ, quam purpura ueſtit:*
*Quum ſe purpureo uere remittit humus.*

*

*Prima ego purpurei mittor prænuncia ueris:*
*Cui uiolæ uoluit nomen ineſſe Deus.*

Viola lutea.

*Suauis odor uiolæ, flos pulcer: lumina flore,*
*Flore comas, totum mulcet odore caput.*

Viola alba.

*Pallentem uiolam mittis? palloris abundè*
*Eſt mihi: ſe cuius ſanguine paſcit amor.*

Viola matronalis.

*Gallia fertilibus me nobilis educat hortis:*
*Me matronalis dextera ſæpe legit.*

Vacinium.

*O' formoſe puer, nimium ne crede colori:*
*Alba liguſtra cadunt: uacinia nigra leguntur.*

*

*Si non eſt albus, quid tum, ſi fuſcus Amyntas?*
*Et nigræ uiolæ ſunt, & uacinia nigra.*

Iacea.

*Flore diu tricolore uiget: febriq; medetur:*
*Vulnera cum ſcabie ſanat, odore carens.*

 Viola

### Viola Calathiana.

*Vere nouo uiolas, æſtu numerabis ariſtas:*
*Autumni munus nobile dicor ego.*

### Campanula.

*Flore places equidem, ſed non uirtute medendi:*
*E foliis lactis copia magna fluit.*

### Digitalis.

*Si mihi uim medicam ſolers natura negauit:*
*Compenſat floris hoc decor omne mei.*

### Lychnis.

*Flos Iouis eſt Lychnis: nectendis apta corollis:*
*Appoſitu cuius Scorpio torpet iners.*

### Melanthium.

*Quæ nidore ſuo ſerpentibus officit atris:*
*Mille eadem morbis herba ſalubris adeſt.*

### Melanthium ſylueſtre.

*Sponte ſua ſegetes inter dominatur, & herbas:*
*Purpureo teneræ flore ſuperba roſæ.*

### Cyanus.

*Primus honos uiolæ: roſa mox, & lilia florent:*
*Cyanus hinc: ſequitur flos Amaranthe tuus.*

### Delphinium.

*Squallidus attactu torpeſcit ſcorpius herbæ:*
*Si ſapis, hanc læſus tu bibe, ſanus eris.*

### Caltha.

*Mollia luteola pingit uaccinia caltha,*
*Et caſia: quoties dat mihi ſerta Venus.*

Ca-



### Caſia.

*Paſcit apes dulcis caſiæ ſapor: halat odore*
*Flos ſuaui: ſertum fac mihi, iunge roſas.*

### Flos Aphricanus.

*Africa cui patria eſt, flos eſt benè gratus ocellis:*
*Noxius at guſtu, teter odore graui.*

### Flos Caryophylleus.

*Vere roſas, uiolasq; legunt: æſtate coronant*
*Flore meo capitis uirgo, puerq; comas.*

*

*Quæ Caryophylli iucundum ſpirat odorem:*
*Sola poteſt cerebrum fortificare meum.*

### Flos Armerius.

*Tempora flos pingit meus exornata coronis:*
*Quem legit ex facili uirgo, puerq; iugo.*

### Flos Conſtantinopolitanus.

*Quàm benè uirgineas ornat de flore corona*
*Lecta comas, Solymum quem uaga turba uocat.*

### Saponaria.

*Longa, tenaxq; mihi uita eſt: æſtumq;, geluq;*
*Haud curo: teneris ſerta do pulcra comis.*

### Aliſma. Alcea.

*Alceæ radix fugat inteſtina cruenta:*
*Quæ ſimulat maluam ſemina, flore roſam.*

### Aquileia.

*Si iecur obſtructum eſt: ſi morbus regius urget:*
*Semina te uino pota, crocoq; iuuant.*

An-

Antirrhinon.

*Semina quæ uituli præfert ſimulantia nares:*
*Vtilis haud ullis eſt, medicina malis.*

Linaria.

*Caule refert, folijsq; nigrum linaria linum:*
*Creditur arquatos ſæpe iuuare liquor.*

Amarantus.

*Qui tenet æternis Amarantus nomen ab herbis:*
*Aeternum capiti det decus uſque meo.*

*

*Sic digitis carptus gaudes Amarante renaſci:*
*Vt preſſa ex ima palma reſurgit humo.*

*

*Glaucia fert uiolas: amarantum Ciris, & Hero*
*Iuniperi baccas: Deiopea crocum.*

Flos Solis.

*Perſia flore meo quondam regesq;, magosq;*
*Vnxit: nam corpus ſponte nitere facit.*

Pæonia.

*Pæonis auctoris retinet memorabile nomen:*
*Cui radix, morbo certa medela ſacro.*

Lilium.

*Idalijs ſurgit uernans roſa conſita riuis:*
*Et Syrio florent lilia cana ſolo.*

Lilium candidum.

*Candida lacte Deæ Iunonis lilia nata*
*Carpite: dum uernat floribus omnis ager.*

*Aeſtate*



*

*Aeſtate prima lilium*
*Pictos quod ornat hortulos:*
*Iunonia mamma ſatum*
*Candore floret lacteo:*
*Et halitum iactat procul:*
*Tum grata delectatio eſt*
*Odoris acrimonia.*

Lilium purpureum.

*Si mihi lac Diuæ uitam dedit (ut dedit) album:*
*Purpureo uertex cur mihi flore rubet.*

*

*Suauis è medijs ſpirabunt lilia ſpinis:*
*Gratior ex ipſis uepribus orta roſa eſt,*

Lilium ſylueſtre.

*Lux ſegetum, nemorumq; decus, pratiq; corona:*
*Flos breuis eſt, auri qui tibi more nitet.*

Lilium conuallium.

*Certa ſalus morbis conuallia lilia mille*
*Sunto: flos recreat cor, cerebrumq; iuuat.*

Hemerocallis.

*Pullulat exorto Phœbo: ſed ueſpere languet:*
*Sicq; fugax una non niſi luce uiget.*

Hyacinthus.

*Dic quibus in terris inſcripti nomina regum*
*Naſcantur flores: & Phyllida ſolus habebis.*

*Nec*

*

*Nec ferrugineus, Tyrióue ſimillimus oſtro,*
*Flos tener, Oebalio ſanguine tinctus abeſt.*

*

*Aut puer, aut fueram quondam fortiſſimus heros:*
*Nunc flos, & mœſtum littera nomen habet.*

*

*Vere nouo lætos uernas hyacinthe per agros:*
*Regis & Aiacis nomina flore refers.*

*

*Semper adhuc retines priſci monimenta doloris:*
*Pallide ſanguineis flos hyacinthe notis.*

*

*Flora Therapnæo fecit de ſanguine florem:*
*Et manet in folio ſcripta querela ſuo.*

*

*Solamen tibi Phœbe nouum dedit Oebalius flos:*
*Flore alio reus eſt Narciſſi morte ſacer fons.*

Aſphodelus.

*Neſcit homo, maluæ uis quanta ſit, aſphodeliq́;:*
*Siue cibus caulis, ſeu tibi bulbus erit.*

*

*Si Nepa lethifero commiſit acumine uirus:*
*Aſphodeli tutus floribus eſſe potes.*

Iris.

*Iri, decus cœli, uario te picta colore*
*Exprimit, Illyrica quæ uenit Iris humo.*





Iris ſylueſtris.

*Si dentis cruciat dolor, adiuuat Iris agreſtis:*
*Floribus aſſimilans lilia pulcra ſuis.*

Xyris.

*Fœtida ſit quamuis, ingrataq́; Xyris odore:*
*Sæpe tuam poſcit languidus æger opem.*

Acorum.

*Suauis odore ſuo radix, ſimilisq́; ſalubris*
*Iridis, eſſe piper nobile gaudet apum.*

Gladiolns.

*Bina mihi radix: ſteriles facit altera nuptas:*
*Altera prolificos, utraque pota, uiros.*

Gladiolus paluſtris.

*Si quis odorato radicem potet Iaccho:*
*Serpentum nihil huic dira uenena nocent.*

Crocus.

*Fleti olim regum, & puerorum nomina flores:*
*Mirator Narciſſus, & Oebalides Hyacinthus:*
*Et Crocus auricomans, & murice pictus Adonis:*
*Et Tragico ſcriptus gemitu Salaminius Aeas.*

Ornithogalon.

*Caſtaneas dulci molles imitata ſapore:*
*Agreſtûm ſatiat manſa, ſuumq́; famem.*

Narciſſus.

*Lutea Narciſſus mentitus lilia: bulbo*
*Cit uomitus: ſtomacho ſæpe comeſus obeſt.*

*

*Tu quoq; nomen habes cultos Narciſſe per hortos:*
*Infelix, quod non alter, & alter eras.*

*

*Dum cupidus gelidas portat Cephiſius undas:*
*Quam ſedare cupit, ſuſcitat unda ſitim.*

*

*Igne peris, ignes poſtquam Narciſſe repellis:*
*Dum cernis gelidam ſemi ſupinus aquam.*

*

*Si cuperes alium, poſſes Narciſſe potiri:*
*Nunc tibi amoris adeſt copia, fructus obeſt.*

*

*Commoritur Narciſſe tibi reſonabilis Echo:*
*Vocis ad extremos exanimata modos.*

Satyrion.

*Muneribus Veneris. Satyrorum nomina fecit*
*Turba potens: procul hos caſta puella fuge.*

*

*Planta ſalax acuitq; uiros, armatq; puellas:*
*Cui nomen Satyrûm turba proterua dedit.*

*

*Sunt qui præcipiant herbas Satureia nocentes*
*Sumere: iudicijs iſta uenena meis.*

Tragopogon.

*Barba capri menſas hyemales ornat: & inſtar*
*Lactucæ, dulci condit acore cibos.*

Chamæ



Chamæmelum.

*Accipe febrifugam, quam Sol amat aureus, herbam:*
*Si bilis cruciat, ſi pituita iecur.*

Chryſanthemum.

*Flore refert orbem claro radiantis ab auro*
*Luminis: aurigo pellitur unde grauis.*

Anemone.

*It cruor in lacrymas: lacrymæ pariunt Anemonem:*
*Sed cruor ille roſas gignit Adoni tuus.*

*

*Flore nites roſeo: Veneri ploratus Adonis:*
*Sanguine te uidit ſurgere nempe ſuo.*

*

*Eruit inſertas pedibus Dea Cypria ſpinas:*
*Dum petit amplexus, pulcer Adoni, tuos.*

*

*Me malè hærentem, & nimia leuitate caducum,*
*Excutiunt ijdem, qui perflant omnia, uenti.*

Buphthalmum.

*Flore Chamæmelum ſimulas, folioq; uirente*
*Fœniculum: maior tu mihi Bellis eris.*

Bellis.

*Frigore hyberni non debellanda rigore:*
*Perpetuo Bellis bella uirore uiget.*

Helichryſum.

*Illa Deûm nexis exornat torquibus ora:*
*Et prohibet cariem ueſtibus, atq; ſitum.*

D Age-

### Ageratum.

*Expers ſenectæ marcentis diu uiuit*
*Flos aureis Agerati emicans bullis.*

### Aſter Atticus.

*Aureus in morem ſtellæ micat Atticus Aſter:*
*Sæpe uiatores terruit igne ſuo.*

### Amellus.

*Flos eſt in pratis paßim, cui nomen Amello*
*Fecêre agricolæ: facilis quærentibus herba:*
*Namque uno ingentem tollit de ceſpite ſyluam*
*Aureus ipſe: ſed in folijs, quæ plurima circum*
*Funduntur, uiolæ ſublucet purpura nigræ.*
*Sæpe Deûm nexis ornatæ torquibus aræ.*
*Aſper in ore ſapor: tonſis in uallibus illum*
*Paſtores, & curua legunt prope flumina Mellæ.*

### Stoechas.

*Stoechades in medio quam gignunt æquore: ſenſus*
*Roborat, & bilem Stoechas utranque fugat.*

### Amaracus.

*Floribus, & dulci quem cernis Amaracus umbra,*
*Si neſcis, Cynaræ filius ille fuit.*

*

*Creſcit in excultis genialis amaracus hortis:*
*Vere nouo uiolæ, lilia uere nitent.*

### Clinopodium.

*Planta pedem ſimulans lecticæ, menſtrua pellit*
*Cum fœtu: coluber nec nocet ore malus.*

Roſma-



### Roſmaris.

*Thuris odorati de me ſalit halitus: unde*
*Natales noſtrum nomen ſibi uindicat ortus.*

*

*Roſmaris Arabiæ redolet beneolentia thura:*
*Thura maris rorem: par in utriſq; decor.*

*

*Qui Libani redolet, fragrantia thura, marinus*
*Ros præbet laribus ſerta gerenda Dijs.*

### Nardus Indica.

*Sæpe mihi Tyrio diſtillent tempora nardo:*
*Spica tulit medicam ſæpe ſalubris opem.*

### Nardus Italica.

*Accipe contextas nardo florente corollas:*
*Si neſcis, cerebrum, uentriculumq; fouet.*

### Nardus Celtica.

*Balnea ſi fuerint, adſit tibi Celtica nardus:*
*Quæ paßim Ligurum per iuga ſumma uiret.*

### Aſarum.

*Mars tuus eſt Aſarum ſanguis, ſi credere fas eſt:*
*Vnde fluit Syrio munere plenus onyx.*

### Thymus.

*Mella thymo redolent fragrantia: mellis amica*
*Carpit apis cytiſos, & thyma grata legit.*

### Thymbra.

*Thymbra quòd obſtructo medeatur odora lieni,*
*Teſtis eris, medicæ Phœbe repertor opis.*

 Ser-

Serpillum.

*Vtile Serpillum: ſerpentûm maxima peſtis:*
*Serpit humi ramis, luxuriatq́; ſuis.*

*

*Fert Ephyre lauros: ſerpilla Cithæris: Adonim*
*Cypria: Narciſſum Chloris: Idyia roſas.*

Origanum.

*Tabificis quòd ineſt mihi uis inimica uenenis:*
*Me carpit tenera fœmina, uirq́; manu.*

Pulegium.

*Seditione grauem populum Heraclite rebelli,*
*Pulegio mulces, reſtituisq́; tuo.*

Mentha.

*Nunc eſt herba uirens, quondam formoſa puella:*
*Creditur hæc Stygium detinuiſſe Iouem.*

*

*Summani pellex terram tenet arctius ulnis:*
*Miraris? uerus uſque perennat amor.*

Calamintha.

*Pota mero tetrum prohibet Calamintha uenenum:*
*Fert medicam, ſerpens cui nocet aſper, opem.*

Menthaſtrum.

*Mentham nec comedas, nec plantes tempore belli:*
*Audentes animos quæ minus eſſe facit.*

Baccharis.

*Si grauis eſt uobis inſomnia: bacchare frontem*
*Cingite: iam uobis nec mala lingua nocet.*

Hor-



Horminum.

*Exacuunt uiſum melli mea ſemina mixta:*
*Exacuunt Venerem ſemina mixta mero.*

*

*Frigidus in Venerem bibat ex me uina maritus:*
*In quem tota ruet mox ſtimulata Venus.*

Ocimum.

*Ambroſium quanquam ſpirabunt ocima odorem:*
*At cibus ambroſio dirus odore latet.*

Ocimaſtrum.

*Ocima præ ſe fert folijs, & uiribus: illa*
*Progenerant, ſaxo tecta, necantq́; nepas.*

Dictamnum.

*Collige Dictamnum Cretæa prouidus Ida:*
*Tela cadent humeris irrita facta tuis.*

*

*Puberibus caulem folijs, & flore comantem*
*Saucia purpureo quærere cerua ſolet.*

Polium.

*Si colis, & tractas Polium, te fama, decusq́;,*
*(Sic canit Heſiodus) te comitatur honos.*

Meliſſophyllon.

*Paſcit apes, & apum fert nomen odora Meliſſa:*
*Quæ curas animi læta, metusq́; fugat.*

*

*Cor mihi triſte: gelu pectus, cerebrumq́; rigeſcit:*
*Singultit ſtomachus: grata Meliſſa ueni.*



An-

Anchuſa.

*Hauſta mero, mœſtæ depellit nubila mentis:*
*Sanguineo maculans herba colore manus.*

Saxifraga.

*Saxifragam cernis: reſpondent nomina uero:*
*Saxa colens, renum frangere ſaxa poteſt.*

Euphraſia.

*Cur oculos hebetant ocularia uitrea? uino*
*Me bibe: luminibus ſic iuueneſce ſenex.*

Sideritis.

*Munda Sideritis, magni uocor Herculis herba:*
*Conſolidans ferro uulnera facta tibi.*

Marrubium.

*Marrubium uarijs morbis medicatur amarum*
*Pectoris: hinc tabes, hinc mala tuſsis abit.*

Marrubium nigrum.

*Sordida marrubium purgat ſatis ulcera nigrum:*
*Et morſus ſanat cum ſale ſæpe canum.*

Siſymbrium.

*Cum uiridi Veneri ſunt grata Siſymbria mirtho:*
*Textaq́; compoſita iuncea uincla roſa.*

*

*Gramineas decorant madefacta Siſymbria ripas:*
*Eſtq́; ſuum menthæ, marrubioq́; decus.*

Alyſſum.

*Planta canum rabiem contuſi ſanat Alyſsi:*
*Me mala lingua pecus faſcinet, illa cauet.*

Scor-



Scordium.

*Corpora quæ ſeruat uitiata putredine tetra:*
*Allia Triſſago nónne paluſtris olet?*

Cardiaca.

*Si cor triſte dolet, ſi palpitat, aut tremit intus,*
*Vtere: non fruſtra nomina cordis habet.*

Conſolida.

*Dulcis odor, dulcisq́; ſapor, florumq́; uoluptas*
*Grata, uiatori gaudia ſæpe dabit.*

Clymenus.

*Conſolidat Clymenus, regis de nomine dictus,*
*Vulnera: ne ſanies putrida membra uoret.*

Epimedium.

*Spem prohibet ſobolis radix quoq́; ſeminis expers:*
*Cui fatuus ſapor eſt, & malè ſanus odor.*

Achillea.

*Sanus Achilleam remeauit Telephus herba:*
*Læſus Achilléa qui fuit antè manu.*

Lyſimachium.

*Purpureo quæ flore decens, Salicaria ueſtit*
*Flumina: Lyſimachi nomina regis habet.*

Polygonum.

*Fertile ſub folijs ſemen turgeſcit amaris:*
*Pus mouet, & fluxum ſanguinis herba uetat.*

Polygonatum.

*Quæ purgas facie maculas, & uulnera ſanas:*
*Dic mihi, cur nomen tu Salomonis habes?*

 Cle-

Clematis.

*Serpit humi, lauri folijs inſignis: & ictus*
*Somniferæ cæcos aſpidis hauſta leuat.*

Chamæpitys.

*Quæ ſimulat pinum folijs, & odore uirentem:*
*Cur non oblitos nos monet eſſe ſui?*

Chamædrys.

*Si noua peſtis adeſt, reddit te Quercula tutum:*
*Sed matutinas inchoët illa dapes.*

Teucrium.

*Dulce cui Teucri de nomine nomen amarum eſt:*
*Cur deſolati nomen amoris habet?*

*

*Splene dolens Teucer, lateri mox applicat herbam:*
*Nec mora, præſentem ſentit, ut optat, opem.*

*

*Virgo procul turbam fugitans ego texo coronam:*
*Tædia flos cuius uincere longa monet.*

*

*Quò diuturna magis, mihi carior omnis eremus:*
*Exulat à uulgo cum probitate fides.*

Chamæcyſſus.

*Quæ folijs hederam, uiolam ſed floribus albam*
*Aſsimilat: iecoris mitigat omne malum.*

Myrrhis.

*Lethiferæ ne te lædant contagia peſtis:*
*Myrrhidis hoc radix pota ſubinde facit.*

Sta-



Stachys.

*Purpureum cingens Stachys albo flore ſecundas*
*Pellit: & in tumido ſemina uentre necat.*

Althæa.

*Magnus Hibiſce uigor, tibi uis eſt magna medendi:*
*Solus de medica nomen & arte geris.*

Verbenaca.

*Caſta Iouis Menſam uerrit uerbena: domusq́;*
*Luſtrat: & innumeris fit medicina malis.*

*

*Verbenaca ueni tacitis benè cognita ſacris:*
*Qualem fert campis Aemonis ora ſuis.*

Parthenium.

*Parthenio gaudet, uirgo Ioue nata, Minerua:*
*Matribus auxilio quòd ſolet eſſe nouis.*

Veronica.

*Peſtiferas curat febres, elephantaq́; dirum:*
*Pallida mortifera corpora tabe leuat.*

Beronica.

*Triſtia corporibus prohibens, animisq́; pericla,*
*Te duce, ſancta mihi ſit comes herba, Deus.*

Britannica.

*Cui nomen domito tribuit Germania Rheno:*
*Per me ſeruauit militis ora ſui.*

Moly.

*Lacteus eſt Moly floris color, atraq́; radix:*
*Exoriturq́; nigro palmite lactis honor.*

 Moly

*

*Moly Deûm generi dictum, quòd maximus orbis*
*Munus, & inuentum Mercuriale tulit.*

*

*Accipias Moly, magno ſi credis Homero:*
*Nec lædent animum Theſſala philtra tuum.*

Hyſſopus.

*Flore nitens acuit uiſum bicolore labantem:*
*Et formidatis auxiliatur aquis.*

Ruta.

*Palladiæ ſuperat baccæ fruticoſa ſaporem*
*Ruta: ſed hæc Veneri corpora noſtra negat.*

*

*Quid dicam uires acuentis lumina rutæ?*
*Quæ dira prohibet mixta uenena manu.*

*

*Flexibiles myrti, lauriq́;, hederæq́; ualete:*
*Ruta comas tantum cingat odora meas.*

Saluia.

*Saluia fœminei fœcundat corpora ſexus:*
*Hinc bibe, fers uterum quæ grauis: herba ſacra eſt.*

Hypecoum.

*Sylueſtrem uulgus rutam me nominat anceps:*
*Creſco ferax ſegetes inter, & arua colo.*

Hypericum.

*Mille foraminibus, febris ſcatet herba magiſtra:*
*Quæ folijs rutam, flore refert uiolam.*

Echium.



Echium.

*Vulnerat Alcibium ſomno ſcelerata ſepultum*
*Vipera: ſed ſucco conualet ille meo.*

Cynogloſſum.

*Triſte malum canis eſt morſus: Cynogloſſa mederi*
*Diſcite: quæ linguas ſunt imitata canum.*

Hippogloſſum.

*Tu mihi ſerta dabis capitis poſitura dolorem:*
*Spina comas, ſed ne lædat acuta, uide.*

Chelidonium.

*Purgo caput: tenebras oculorum purgo: fugoq́;*
*Ictericum: dat auis nomen hirundo mihi.*

*

*Cœcatis pullis hoc lumina mater hirundo*
*(Plinius ut ſcripſit) quamuis ſint eruta, reddit.*

Anagallis.

*Pellit ueſanos renum, iecorisq́; dolores:*
*Ne mala ſit tactu uipera, ſæpe cauet.*

Geranium.

*Illa fouet cœca liquefactas tabe medullas:*
*Cui nomen fecit grus, Palamedis auis.*

Oenanthe.

*Sumpta mero radix, ueſicæ commoda morbo eſt:*
*Flos tecum floret Bacche, uiretq́; meus.*

Botrys.

*Botrys odoratas ueſtes facit: ungere parce:*
*Ambroſiæ liquido fragrat odore botrys.*

Am-

Ambroſia.

*Iupiter ambroſia ſatur eſt, & nectare uiuit:*
*Longæuos homines ſic facit iſte cibus.*

Panacea.

*Si nomen ſequimur: morbis Panacea medetur*
*Omnibus: auctores iactat & ipſa Deos.*

Aſclepias.

*Flos redolet uirus graue: ſedat tormina radix:*
*Pergameiq; refert nomina clara Dei.*

Artemiſia.

*Quæ præeſt timidis parientibus Ilithyia*
*Artemis: haud finxit nomen inane mihi.*

Abrotonum.

*Quæ fumo grauis eſt diris ſerpentibus herba:*
*Iſiacæ ſacram noueris eſſe Deæ.*

*

*Hypſipylæa gerit caſiam: Cardelia myrtum:*
*Abrotonum Pſyche: lilia Phyllis habet.*

Abſynthium.

*Triſtia per uacuos horrent abſynthia campos:*
*Conueniensq; ſuo meſtis amara loco eſt.*

*

*Triſtia deformes pariunt abſynthia campi:*
*Terraq;, de fructu, quàm ſit amara, docet.*

*

*Tetra tegunt paßim ſteriles abſynthia campos:*
*Delicias, & opes teſtificata ſoli.*

Ab-



Abſynthium Ponticum.

*Cana prius gelido deſint abſynthia Ponto:*
*Quàm careat dulci Trinacris Hybla thymo.*

Melilotus.

*Flore refert, & odore crocum Melilotus: apesq;*
*Paſcit: & innata tubera mollit ope.*

Trifolium.

*Læta cibis fœto pecori: correpta ueneno*
*Membra, ſalutiferæ flumine ſanat aquæ.*

Tuſsilago.

*Filius ante patrem, folium flos germinat ante:*
*Quodq; iuuet tußim, nomina tußis habet.*

Circæa.

*An, Circæa, tibi nomen dedit impia Circe?*
*Plantarum Phœbus cui pater auctor erat.*

Conyza.

*Serpentes incenſa fugat, culicesq; Conyza:*
*Sparſa malos pulices, ſanguiuorosq; necat.*

Imperatoria.

*Pota mero radix febres fugat: atq; uenenis*
*Præſtat opem: ſenſus roborat, atq; caput.*

Elaphoboſcus.

*Quòd uires hebetet medicabilis herba ueneni:*
*Exemplo docet hoc ſaucia cerua ſuo.*

Sphondylium.

*Seu te ſacra lues, ſeu morbus regius angit:*
*Siue dolor capitis: ſemine tutus eris.*

Peu-

Peucedanum.

*Peucedani nexos partus iuuat herba: ſuoq;*
*Suffitu colubris fert mala damna nigris.*

Leontopetalum.

*Cauliculos folijs, & flore figurat Adonin:*
*Grandia ſed radix ſtrumea rapa refert.*

Atractylis.

*Crebra canum morſus res eſt nunc, crebra neparum:*
*Qui ſapit, hinc tutò promat medicamina paſtor.*

Atractylis hirſuta.

*Sacra lues, peſtis, febris, genus omne ueneni*
*Sunt mala magna quidem: Sancta ſed herba leuat.*

Aſplenum.

*Aſplenum lapides frangit, liquatq; lienis:*
*Ex folijs nomen cui Scolopendra dedit.*

Lithoſpermum.

*Quæ frangit lapidem, lapidis fert nomina: ſemen*
*Alternis folijs, gemma decora, latet.*

Onoſma.

*Prægnans abortum fecerit mox fœmina:*
*Tranſgreſſa acerbam partubus plantam nouis.*

Rubia.

*Quas geritis ueſtes, ſaturo ſplendore rubentes:*
*Lana prius, rubia iam medicata, fuit.*

Iſatis.

*Vrit Iſatis agros, alimentaq; ſubtrahit herbis:*
*Vellera cœruleo tingens infecta colore.*

Lon-



Lonchitis.

*Pota lienoſos feruenti ſanat aceto:*
*Seminis à forma lancea nomen habet.*

Anagyris.

*Aureus eſt mihi flos, ſed odor malè gratus: & acre*
*Semen alo ſiliquis: ſi libet eſſe, uomes.*

*

*Conſpicuo ſyluas anagyris flore decorat:*
*At quæ cauſa, quod hinc nulla corona placet?*

Cepæa.

*Si quis ueſicæ morbo, ſcabieq; laborat:*
*Pocula Cepææ ſunt medicata bono.*

Stœbe.

*Molle rubet ſemen: fert ſpinas caulis acutas:*
*Creſcit in Orchomeno fertilis herba lacu.*

Scabioſa.

*Si mala quem ſcabies, aut ſi carbunculus urget:*
*Auxilium læſæ fert Scabioſa cuti.*

Erinus.

*Lacte madet caulis: flos albet: nigra medentur*
*Luminibus dulci ſemina mixta fauo.*

Fragaria.

*Qui legitis flores, & humi naſcentia fraga:*
*Frigidus, ô pueri, fugite hinc, latet anguis in herba.*

Plantago.

*Plantago plantis teritur cur nobilis herba?*
*Quam Themiſon medicus tollit ad aſtra ſenex.*

Quin-

### Quinquefolium.

*Aemulus eſt auri tibi flos,ſed & aurea uirtus:*
*Quæ geris,à folijs nomina quinque geris.*

### Tormentilla.

*Tormentilla malas peſtes,& uulnera curat:*
*Quæ ſeptem folijs conſpicienda datur.*

### Potentilla.

*Quæ pedibus teritur paßim per ſepta,uiasq́;:*
*Pœonias ad opes mox erit herba potens.*

### Pimpinella.

*Nec mala te fluidæ lædat contagio peſtis:*
*Securum radix reddere ſola poteſt.*

### Fumaria.

*More ciet fumi lacrymas Fumaria:purgat*
*Cum lacrymis oculos,exacuitq́; tuos.*

### Heliotropium.

*Flore nitens croceo Clytie(mirabile dictu)*
*Perpetuò Phœbi ſeruat euntis iter.*

*

*Credibile eſt Clytien,quamuis radicibus hæret,*
*Nunc quoque dilecti Solis amore trahi.*

*

*Vertor ad occaſum:rurſus conuertor ad ortum:*
*Solis amo radios:an mihi ſenſus ineſt?*

*

*Semper ut ad Solem Clytie ſe uertit amatum:*
*Ad magnum uultus ſic homo tolle Deum.*





### Lotus Ægyptia.

*Dum floret,cum Sole ſuum dulciſsima Lotos*
*Comprimit,aut aperit,nocte dieq́;, caput.*

*

*In ſpem baccarum quæ floret aquatica lotos:*
*Sole uigente uiget:ſole cadente cadit.*

### Equiſetum.

*Forma uetus caudæ nomen mihi fecit equinæ:*
*Spiſſat uis herbæ,quod fluit,omne meæ.*

### Piloſella.

*Paſcua paſtores ouibus uos quærite ſana:*
*Molle necant ſubitò pabula noſtra pecus.*

### Tragium.

*Quòd grauis in folijs cubet hircus olentibus:ex re*
*Qui dedit,hic Tragio nomina uera dedit.*

### Scorpius.

*Cœliacos acinis iuuat uda rubentibus herba:*
*Scorpio cui nomen das metuende tuum.*

### Scorpioïdes.

*Scorpio dire,tuam ſimulat quæ ſemine caudam:*
*Morſibus hæc præſens eſt medicina tuis.*

### Alſine.

*Quæ nemorum lucis Alſine gaudet opacis,*
*Vtere:non auris iam dolet,aut oculus.*

### Helxine.

*Quæ folijs hederam mentitur,lilia flore:*
*Sepibus Helxine ſæpe uidenda datur.*

Helxine Parietaria.

Quæ Traiane iocum peperit tibi Maxime Cæſar:
Cum textis paries ſepibus omnis habet.

Eupatorium.

Inuentum Syrij quondam Iecoraria regis:
De cuius fictum nomine nomen habet.

Euphorbium.

Quam cernis, Iuba rex Euphorbi nomine dixit:
Senſerat illius ſæpe medentis opem.

Pulmonaria.

Pulmonum ſanat putrefacta quòd ulcera: nomen
Vilis ex uero repperit herba ſuum.

Hepatica.

Quòd triſte mentum, ſordidosq; lichénes
Sanat: medentûm dixit turba lichénem.

Paronychia.

Patria dat multis, uirtus mihi cognita nomen:
Mollem frutex reduuiam curat meus.

Vmbilicus Veneris.

Cur nomen Veneris ſit umbilicus,
An rogas? Venus alma regnat in me:
Per me miſcet amica pocla amanti:
Formam ſed folium dat umbilici.

Galium.

Non lac ſola nouum liquefacta coagula durant:
Miſceri tenero me quoq; lacte uolo.





Argentina.

Vulnus in antiquum rediјt ſi cruda cicatrix:
Argentina facit ſponte coîre lita.

Stellaria.

Stella uocor: folijs, & floribus æmula Stellæ:
Propitiam tardus uulnere ſentit opem.

Aparine.

Aſpera quæ folijs calcar, ſtellam'ue figurat:
Sæpe tenax hæret ueſtibus illa nouis.

Adiantum.

Cur, quæ gaudet aquis riguis, aſpergine nulla
Vda fit? aut pluuijs tecta madeſcit aquis?

Millefolium.

Mille ſupercilium folijs imitatur eburnæ
Quæ Veneris: uulnus militis omne liget.

Sedum.

Tecta Sedum ſemper uiuum colit alta domorum:
Semina cum ſucco tu medicata fere.

Scrofularia.

Si tua colla tument ſtrumis: mea planta medetur:
Sæpius hoc patitur frigida ſcrofa malum.

Verbaſcum.

Accipe Verbaſci tectos lanugine flores:
Candida quò poßint ora nitere diu.

Blattaria.

Quæ blattas abiecta truces mox contrahit in ſe:
Aemula Verbaſci: crine rubére facit.

Alypum.

*Atra bile tumet corpus? medicatur Alypum:*
*Iam poſitis curis lætior eſſe potes.*

*

*Blanda Venus ceſton: guſtum Nepentheos Horæ:*
*Tu niueos addis Pleiade nate ſales.*

Glaux.

*Glauce Deum fecit Glaucis te nobilis herba:*
*Quam comedis, ſiccans littore rete maris.*

*

*Gramina crimē habent, quibus induit inguina piſcis:*
*Hac modò mutari quemlibet arte uelit.*

Laſerpitium.

*Quàm magnus numerus Libyſſæ arenæ*
*Laſer piciferis iacet Cyrenis:*
*Oraclum Iouis inter æſtuoſi:*
*Et Batti ueteris ſacrum ſepulcrum.*
*Tàm te baſia multa baſiare*
*Veſano ſatis, & ſuper Catullo eſt.*

Ferulæ.

*Pabula læta pigris aſinis: ſed ſceptra magiſtris*
*Triſtia: iumentis certa uenena damus.*

*

*Inuiſæ nimium pueris, gratæq; magiſtris:*
*Clara Promethéo munere ligna ſumus.*

Thapſia.



Thapſia.

*Aßimilis ferulæ, crudeli clara Nerone:*
*Inſula cui nomen Thapſus amœna facit.*

Tithymallus.

*Illine lactucæ collyria nigra marinæ*
*Lippus: & exiguo tempore cœcus eris.*

*

*Lippo, non luſco collyria nigra medentur:*
*Qui ſemel eſt luſcus, non niſi luſcus erit.*

Pityuſa.

*Lenta tuo ſtomacho ſi fert pituita tumultum,*
*Aut bilis: per me ſanior eſſe potes.*

Lathyris.

*Oui cerebrum lædit bilis, pectúsue moleſta:*
*Grata ſalutares huic adhibebo manus.*

Peplus.

*Quæ uineas, agroſq; colit, pleniſſima lactis:*
*Corporibus bilem Peplus utranq; trahit.*

Apios.

*Nigra, piro ſimilis, radix mihi: purgat utrinq;*
*Per uentrem, bilem, per uomitumq; malam.*

Staphys.

*Si fera te ſcabies uexat, porrigoq; fœda:*
*Noſce meas uires, accipe, mundus eris.*

Tripolion.

*Tripolium mutat ter in una luce colores:*
*Et tantùm conſtans in leuitate ſua eſt.*

Catanance.

*Quid tibi nobiſcum eſt, crudelis fomes amoris?*
*Miſcent Theſſalicæ pocula dira nurus.*

Vrtica.

*Terra ſalutiferas herbas, eademq́; nocentes*
*Nutrit: & urticæ proxima ſæpe roſa eſt.*

*

*Conuenit urticæ mordacibus herba Poëtis:*
*Ingenuos uates laurea ſerta decent.*

*

*Vre puer caules: mihi feſta luce coquatur*
*Vrtica, & fiſſa fumoſum ſinciput aure.*

*

*Irritamentum Veneris languentis, an acres*
*Solius urticas diuitis eſſe putas?*

Galeopſis.

*Ingrato nares lædit Galeopſis odore,*
*Vrticæ ſimiles: fœtens urtica uocatur.*

Rhopalos.

*Quam tulit Alcides, nodoſæ robora clauæ*
*Fert Rhopalos: lacrymis & rigat arua ſuis.*

*

*Quam pallére uides, quicunq́; momorderit ore:*
*Haud unquàm Veneris dulcia furta ſciet.*

Apollinaris.

*An, quòd opus medico ſit Apolline, nomine gaudes:*
*Quos faba dementat pernicioſa Iouis?*





Mercurialis.

*Maxima Mercurio laus eſt: fœmella puellam,*
*Mas puerum, Venus eſt cui ſociata, dabit.*

Filix.

*Neglectis urenda filix innaſcitur agris:*
*Aut ſteriles, grauidas aut aborire facit.*

Pulicaria.

*Dum uiret, in domibus pulices necat herba: nigrumq́;*
*Semen habet, pulicum (dicitur unde) modo.*

Solanum.

*Turpis amor ſuus eſt: Solano ueſcere nunquàm:*
*Pulcer eris aliàs, ſed ſine mente, tibi.*

Mandragora.

*Pocula Mandragoræ Libycis dum ſopit Amilcar*
*Hoſtibus: oppreſſos mille ſopore necat.*

Morion.

*Manſa facit radix homines rationis egentes:*
*Fuſaq́; Lethæo membra ſopore ligat.*

Aconitum.

*Lurida terribiles miſcent aconita nouercæ:*
*Lernææ quondam dentibus orta canis.*

Cicuta.

*Ruſticæ, lethiferam moneo uitare cicutam:*
*Suſtulit Actæum dira cicuta ſenem.*

Colchicum.

*Colchica pro bullis ne collige dulcia paſtor:*
*Præfocant animæ Colchica manſa uiam.*

*

*Colchica uer, æſtas ſegetes: autumne racemos*
*Das: urenſq; typhas bruma regignit aquis.*

Veratrum album.

*Quod capris adipes, & coturnicibus auget:*
*Cur homini ſolùm ueratrum eſt triſte uenenum?*

*

*Nos necat elleborus: capris adipem auget, auiq;:*
*Idem ignis fomes, & populator opum eſt.*

Veratrum nigrum.

*Prœtidas hellebori ſanauit lacte Melampus:*
*Si qua tument acri pectora bile, leuat.*

*

*Curat Melampus Prœtidas*
*Bruto furore percitas:*
*Plantæ medela nobilis,*
*Brumæ uirentis tempore.*

Lappa maior.

*Si perſonatus ludis prodibis in urbem:*
*Perſonata ſatis iam tegit ora tibi.*

Lappa minor.

*Iupiter utilibus quoties rigat imbribus agros:*
*Mixta tenax ſegeti creſcere lappa ſolet.*

Petaſites.

*Si metitis ſegetes, cœlo dum Sirius ardet:*
*Arcadicus capiti fortè galerus ero.*

Ono-



Ononis.

*Sæpe moram curuis inducit Ononis aratris:*
*Spicula quæ ramis tendit, Ononis olens.*

Gnaphalium.

*Mollibus è folijs tomenta parare licebit:*
*Stragula pro lectis hæc ſibi pauper emit.*

Eryngium.

*Si legitis flores, Eryngion addere nymphæ*
*Vos decet: Euphroſynen paruus ocellus amat.*

Acanthus.

*Flexa, toros ueſtit, dans uimina, mollis Acanthus:*
*Fert baccas: ſemper frondet: oletq; benè.*

Leucacantha.

*Manſa leuat radix dentis, laterumq; dolores:*
*Ruptaq; continuat diuulſis uincula neruis.*

Tragacantha.

*Si malè quis tuſsit: radicis lacryma cæſæ*
*Expellit tuſsim pectore ſola malam.*

Spina alba.

*Spina fugat longè ſerpentes alba nocentes:*
*De collo ſemper pendeat illa tuo.*

Carduus.

*Carduus in Sicula menſa quem linquit aſellus,*
*Tollitur: i, Siculas Angele tolle dapes.*

Chamæleon.

*Carduus hic nomen debet tibi Carole Magne:*
*Peſtem fugans Chamæleon.*



An

*An niger, an albus ſit, nil referre putabis:*
*Præſens ueneni remedium.*

Dipſacus.

*Carduus at ueneris frutices diffundit acutos*
*Dipſacus: & bibuli nomen, & omen habet.*

Flora.

*Vincta caput ſertis, & uer amplexa maritum,*
*Nuda per herboſos Flora iocatur agros.*

*

*Collige uirgo roſas: dum flos nouus, & noua pubes:*
*Et memor eſto, æuum ſic properare tuum.*





# IOAN. LVDOVICO HAINZELIO IO. BAPTISTÆ F. PATRICIO *Auguſtano.*

Arboribus fœtos uarijs, & floribus hortos
Pro xenio, dedimus fratribus antè tuis.
Accipe tu frugum lætos, olerumq; maniplos:
Quos ego, quos mecum dant LVDOVICE Dij.
Farra Ceres, cuſtos horti dat oluſcula menſæ
Lampſacus: utrôuis menſa carere nequit.

# NICOLAI REVSNERI
## LEORINI SILESII
## P. L.

### Frvmentarivm, Olitorivmq́ve Poëticum.

### Cerealia.

Triticum.

*Tercentum Libyci modios de meſſe coloni*
*Sume: ſuburbanus ne moriatur ager.*

Hordeum.

*Mulio quod non det tacituris, accipe, mulis:*
*Hæc ego coponi, non tibi dona dedi.*

Far.

*Far populus tibi donat? adorea ſic datur alma,*
*Altrix uirtutis gloria nempe tuæ.*

*

*Non tellus eadem parit omnia: uitibus illa*
*Conuenit: hæc oleis: hîc benè farra uirent.*

Zea.

*Speltam Romani, Zeam dixêre Pelaſgi:*
*Cui tribuunt primos hordea, farq́; gradus.*

Aue-



Auena.

*Pabula cornipedi dat equo Cerealis auena:*
*Si ſapis, hinc pultes, qui malè uiuis, ede.*

Oriza.

*Profuerint ſtomacho ptiſanaria dulcis orizæ:*
*Profluuium uentris ſiſtere pulte potes.*

Milium.

*Puls ciet urinam milij: ſed ſupprimit aluum:*
*Fomentisq́; leuat tormina ſæua ſuis.*

Panicum.

*Paſcitur hoc gallina cibo, molliq́; columba:*
*Paſcitur & ſimili ruſtica turba cibo.*

Faba.

*Sum faba: ſi docti me damnant Pythagoræi:*
*At magnis Fabijs nomina tanta dedi.*

Faba Ægyptia.

*Lenta minus gracili creſcunt colocaſia filo:*
*Plena magis: nimio lilia Sole cadunt.*

*

*Niliacum ridebis olus, lanasq́; ſequaces:*
*Improba quum morſu fila, manuq́; trahes.*

Phaſeolus.

*Dum calet, & ſicco tibi manditur ore phaſelus:*
*Mox facit infirmo turgida membra cibo.*

Piſum.

*Frigoris impatiens Piſum, loca quærit aprica:*
*Dulce cibo, minus &, quàm faba lenta, nocet.*

Sint

*

*Sint mihi, dum ſiliqua frigent delecta recenti,*
*Piſa ſub æſtiuo prandia grata cane.*

Eruum.

*Pinguis erit, pingui qui paſcit taurus in eruo:*
*Conueniens homini non ſolet eſſe cibus.*

Vicia.

*Lætus ager uicia tenui, triſtisq; lupino:*
*Pingueſcunt uiciæ fœtibus arua ſatis.*

Cicer.

*Lac auget, ſemenq; Cicer: purgatq; lienem,*
*Et iecur: & Veneri corpora noſtra parat.*

*

*Quæ tibi magnificum pepérere legumina nomen:*
*Nomine ſunt Ciceró nunc quoq; grata tuo.*

Cicercula.

*Si Cicer hanc uincit, non his eſt æqua poteſtas:*
*Sic cedunt dominis infima quæque ſuis.*

Lens.

*Accipe Niliacam, Peluſia munera, lentem:*
*Vilior eſt alica: carior illa faba.*

Lupinus.

*Triſtis, ſed dulcis fit melle farina lupini:*
*Morſibus haud atris iam tua membra petit.*

*

*Reptilibus Cynicûm ueſcatur turba lupinis:*
*Immundos decuit ſordida pera canes.*

Lu-



Lupinus ſylueſtris.

*Pallentis faciem commendat cura lupini:*
*Triſtis amaritie qui ſolet eſſe ſua.*

Seſamum.

*Pingue ſolum craßis emacrant Seſama fibris:*
*Condimenta cibo dant, oleumq; faci.*

Eryſimum.

*Si cui mota loco coxa eſt: ſi regius humor*
*Angit: erit præſens Irio cura tibi.*

Linum.

*Vrit agros lini mollis ſeges: urit auenæ:*
*Vrunt lethæo perfuſa papauera ſomno.*

*

*Mollia fas tenui contexere pallia lino:*
*Stillabunt oleum ſemina preſſa nigrum.*

Cannabis.

*Torta tibi funes dat Cannabis: utile ſemen*
*Ouiparis: grauidis ſed nocet ille cibus.*

Fœnum Græcum.

*Calfacit, & ſoluit Fœnum genitalia Græcum:*
*Cum mulſo ſumptum ſcilicet ante cibum.*

Lolium.

*Infelix lolium rigidis dominatur in agris:*
*Lumina quod uitiat, membra ſopore grauat.*

*

*Cultibus aßidui ſi non uertantur aratri*
*Arua: nihil, lolium præter inane, ferunt.*

Ægi-

Ægilops.

*Semine de tritici naſcens feſtuca: docebit*
*Sæpe boni natos degenerare patris.*

Phœnix.

*Spica refert lolium: nocturnis muribus eſca:*
*Sanguinis hæc fluxum ſiſtere pota ſolet.*

Aphace.

*Molle tibi paſcit pecus Ambubeia: famemq́;*
*Pauperis agricolæ, lens uti cocta, leuat.*

Hedyſarum.

*Segetes amat Securidaca fœcundas:*
*Securis inſtar ancipitis ferens ſemen.*

Onobrychis.

*Lentis habet folium paruæ, floremq́; rubentem:*
*Sudores oleo quæ macerata mouet.*

Aſtragalus.

*Purpureos gerit Aſtragalus Memphitica flores:*
*Pro fluxu, radix ſit medicata mero.*

Caſſutha.

*Strangulat implicitas cirris naſcentibus herbas,*
*Qui radice caret, flos, folijſq́; meus.*

Phyllitis.

*Nec florem, nec ſemen habet Phyllitis amara:*
*Nec caulem: fluxum ſiſtere uentre potens.*

Androſace.

*Si podagra infeſtat corpus, ſi languor aquoſus:*
*Forte tibi fruticis dant medicamen aquæ.*

Nym-



Nymphæa.

*Gaudet aquis Nymphæa, ſuis comes addita nymphis:*
*Pota diu ſemen quæ genitale trahit.*

Muſcus marinus.

*Qui uirides algas, & rubra corallia ponto:*
*Lumbricis peſtem, te quoq; Muſce legit.*

Muſcus arboreus.

*Cor iuuat arboreus muſcus, ſtomachumq́; rebellem:*
*Languiduli ſomni tempora longa facit.*

Fucus.

*Nec uera uirtus, quum ſemel excidit,*
*Curat reponi deterioribus:*
*Sicut nec amiſſos colores*
*Lana refert medicata fuco.*

Alga. Vlua.

*Alga, maris fucus? limoſæq́; ulua paludis:*
*Fert ſuccis podagræ commoda magna ſuis.*

*

*Et genus, & uirtus, niſi cum re, uilior alga eſt:*
*Sic colitur diues: pauper ubiq; iacet.*

Lens paluſtris.

*Frigida lens ſtagnis, & aquoſis innatat undis:*
*Illita quæ podagræ mitigat una malum.*

Malabathrum.

*Quod nardum redolet, folium fert India: lentis*
*In morem quod aquis innatat, abſq; ſolo.*

Gramen.

*Saturno, Martiq́; ſacrum: quo Glaucus adeſo*
*Polybides, factus creditur eſſe Deus.*

*

*Gramineam Fabio patres fecêre corollam:*
*Fregerat ut Pœnos, Hannibalemq́; mora.*

Lagopus.

*Pes leporis dicor: ſegetes amo, furfure plenus:*
*Per quas præda furax itq́;, reditq́; lepus.*

Iuncus.

*Iuncus amat ſterilis loca fœta paluſtribus undis:*
*Languidulo ſemen membra ſopore grauat.*

Iuncus odoratus.

*Laxat odoratus uenæ ſpiracula iuncus:*
*Aegra ſalutari uiſcera ſanat ope.*

Cyperus.

*Caule refert iuncum, radice Cyperus oliuam:*
*Sæpius hæc medicis commoda magna tulit.*

Cyperus Babylonicus.

*Manſa tibi radix oris commendat odorem:*
*Calfacit & renes, uentriculumq́; iuuat.*

Calamus odoratus.

*Suauis odor cerebro, Libani qui ualle ſub ima*
*Spirat: odoratus iuncus, an eſt calamus?*

Typha.

*Stagna, lacusq́; colit Typha: gaudet morio claua:*
*E' folijs tegetes ruſtica turba facit.*

Ha-



Harundo.

*Canna leuis uelat pigras, & harundo paludes:*
*Enecat hæc filices: aſparagosq́; fouet.*

*

*Vis Boreæ obnixas uiolento turbine ſternit*
*Ornos: arundo infracta eandem deſpuit.*

*

*Pan ſequitur Syringa: fugit pulcerrima nympha:*
*Dumq́; fugit, corpus mox fit arundo leuis.*

*

*Quòd tenui cecinit Pan primus arundine: Syrinx*
*Arcadico uirgo fertur amata Deo.*

Canna.

*Quàm platanus riuo gaudet: quàm populus unda:*
*Tàm quoq; limoſa canna paluſtris humo.*

Tribulus.

*Terra ſuos tribulos producit, & unda, rigentes*
*Veperibus: at quorum maximus uſus erit.*

*

*Acriter attactu pungunt tribuliq́;, uepresq́;:*
*At grauius morſu perfida lingua nocet.*

Lupulus.

*Qui docuit lupuli Cererem miſcere liquore:*
*Aequus Bacche tibi num ſatis ille fuit?*

OLERA.

*Illa domus felix, ubi paruo aſſueta iuuentus*
*In feſto coctum luxuriatur olus.*

 Beta.

Beta.

*Vt ſapiant fatuæ, fabrorum prandia, betæ:*
*O quàm ſæpe petet uina, piperq́; coquus.*

*

*Betis Niliacam poteris confundere lentem:*
*Ventoſam betis, ſi ſapis, adde fabam.*

Cauliculi.

*Cauliculos teneros, ſi te delectat Apicî*
*Regula, tu uerno tempore carpe puer.*

Crambe.

*Braßica uentris onus bis cocta, comeſaq́; ſiſtit:*
*Sed ſemel, & modicè cocta, reſoluit idem.*

Cynocrambe.

*Cui pituita nocet, bilisq́;, aut humor aquoſus:*
*Sæpe canina nigrum braßica fundet olus.*

Braſsica criſpa.

*Huc ades ô folio Chryſippica Braßica criſpo:*
*At, niſi ius ſapias pingue, piperq́;, uale.*

Atriplex.

*Frigidus atriplicum choleræ uim diſcutit humor.*
*Coctarum: crudis uirus ineſſe puta.*

Blitum.

*Ignauum ſine honore blitum, ſine uiribus eſtur:*
*Pectore tu bliteus, ſi ſapis, eſſe caue.*

Polypodium.

*Quæ filicem ſimulat forma, pedibusq́; tot extat:*
*Bilis, cum betis cocta, leuamen erit.*





Limonium.

*Si malus excruciat dolor inteſtina cruenta:*
*Syluestris medicam beta miniſtrat opem.*

Rapum.

*Hæc tibi brumali gaudentia frigore rapa*
*Quæ damus: in cœlo Romulus eſſe ſolet.*

Napi.

*Hos Amiternus ager felicibus educat hortis:*
*Nurſinas poteris parciùs eſſe pilas.*

Paſtinaca erratica.

*Si rubet humeſcens culto Staphylinus ab horto:*
*Feruenti poterit fortè placere cibo.*

Paſtinaca ſylueſtris.

*Putre cui tumuit ſuffuſa corpus ab unda:*
*Herba ſalutiferam dat genialis opem.*

Siſer.

*Nobile Germanis Rhenus Siſer educat oris:*
*Cæſareas potuit ſæpe decere dapes.*

Daucus.

*Sunt etiam calidi menſis ſua munera Dauci:*
*At uitio, cocti non ſatis, eſſe ſolent.*

Daucus Creticus.

*Solis amat Daucus radios, apricaq́; ſaxa:*
*Seminis eſt manſi ſuauis, & acris odor.*

Raphanus.

*Si replet uentrem, ſenſus at reddit acutos:*
*Sunt tamen, ante cibum qui magis eſſe probent.*

*

*Fabula narratur ſacros ab Apolline Delphos*
*Omnibus hunc alijs præpoſuiſſe cibis.*

*

*Beta ſit argentum: ſint plumbum rapa: ſed aurum*
*Sit raphanus: ſunt hæc, Phœbe, ſacrata tibi.*

Lactuca.

*Claudere quæ ueterum cœnas lactuca ſolebat:*
*Dic mihi cur noſtras inchoat illa dapes?*

*

*Auguſtus per me releuat faſtidia morbi:*
*Et Lactucinos Roma togata uocat.*

Aſparagus.

*Mollis in æquorea quæ creuit ſpina Rauenna:*
*Non erit incultis gratior aſparagis.*

Corruda.

*Prodit & aſparagi corruda ſimillima filo;*
*Mollior hoc alius uix ſolet eſſe cibus.*

Lampſana.

*Si crudus ſtomachus, ſi languet debile pectus:*
*Illita præſentem Lampſana præſtat opem.*

Rumex.

*Beta pigro uentri non eſt ingrata: palatum*
*Sic acido recreat molle ſapore rumex.*

Pyrethrum.

*Purgatur cerebrum manſa radice Pyrethri:*
*Et dentes, cruciat ſi pituita, iuuat.*





*

*Tu piper urticæ mordacis ſemine miſce:*
*Tritaq; in annoſo flaua pyrethra mero.*

Sena.

*Sena iuuentutem ſeruat, ſeniumq; retardat:*
*Cor iuuat, & cunctis ſenſibus addit opem.*

Malua.

*Exoneraturas aluum mihi ruſtica maluas*
*Attulit: & uarias, quas habet hortus, opes.*

Cichoreum.

*Rara cibos ineunt cum dulcibus intyba maluis:*
*Rectè utrunq; tamen, ſi lubet, eſſe potes.*

Chondrilla.

*Siue Cichoreum, ſeu uult Chondrilla uocari:*
*Ante cibum fibris eſtur amara ſuis.*

Striges.

*Et homines cœnas ſibi coquunt: quum condiunt,*
*Non condimentis condiunt, ſed ſtrigibus.*

Naſturtium.

*Quæ naſum torquent naſturtia: Perſica præbent*
*Prandia: cum gelida ſit modò panis aqua.*

Crithmum.

*Gratus odor Crithmo, gratus ſapor: utile menſis*
*Præbet olus: morbus regius unde fugit.*

Baticula.

*Sic iecur, & lumbos mulces, ſtomachumq;, caputq;:*
*Inter regales ſis ut habenda dapes.*

Lactucella.

*Dum tener es, uiridisq́ue: cibi faſtidia manſue*
*Sonche leuas: cœlo ſi fera ſæuit hyems.*

Lauer.

*Si latus, aut renes morbo tentantur acuto:*
*Cruda, aut cocta tibi ſit medicina Lauer.*

Eruca.

*Herba ſalax, Venerem reuocans Eruca morantem:*
*Lactucæ ſemper ſit ſociata cibus.*

*

*Surgentem Venerem mollis lactuca moratur:*
*Deuoret erucas, qui cupit eſſe ſalax.*

*

*Eruca capripes redimitus tempora Faunus,*
*Immodicæ Veneris ſymbola certa refert.*

Scandix.

*Ventriculum Scandix ſuccis aſtringit amaris:*
*Fallor? an hæc Veneris iam mihi pecten erit?*

Scandulaca.

*Strangulat hæc ſegetes, & ſparſa legumina campis:*
*Aſparagi patinas more parata decet.*

Coronopus.

*Si corona dedit nomen, ſeu ſtella: medetur*
*Morſibus anguinis, cœliacosq́ue iuuat.*

Gingidium.

*Seu libet elixas herbas, ſeu ſumere crudas:*
*Gingidio ſtomachi nauſea triſtis abit.*

Eri-



Erigeron.

*Si quis ab ingrata contraxit bile dolores:*
*Erigeron ſtomachi dulce leuamen erit.*

Cyclaminus.

*Si grauis eſt pituita, mihi Cyclamine mederis:*
*Theſſalicis poclis nec finis eſſe locum.*

Dracunculus.

*Serpentis primo maculoſi germine formam*
*Herba refert: acido grata ſapore gulæ.*

Arum.

*Si tibi forma placet, ſi pulcri gratia uultus:*
*Ore fugans maculas conciliabit Arum.*

Ariſarum.

*Acris ari ſapor eſt, & oliuæ: uincis utrunq́ue,*
*Cui radix oleam, frons imitatur arum.*

Vitis alba.

*Pampineis uitis lætatur frondibus alba:*
*Cum rugis maculas ore, lepramq́ue fugat.*

Vitis nigra.

*Vitis olus primo dat germine nigra: lieni*
*Commoda: uertigo ſi nocet, illa iuuat.*

Viticella.

*Aemula quæ uitis folijs progerminat albæ:*
*Fœcundas oleo reddere, uulgus ait.*

Vitis ſylueſtris.

*Quam cernis, uitis fœcunda rubentibus uuis,*
*Lentigo grauis eſt ſi tibi fœda, iuuat.*

 La-

Labruſca.

*Syluestris raris ſurgit labruſca racemis,*
*Cocci modo rubentibus.*

Carduus ſatiuus.

*Tempore quò certo naſcatur maſcula proles.*
*Vxor cauta ſerat, meq; maritus edat.*

Cynara.

*Potores cynaras ament: eoſdem*
*Veſcentes cynaris amet Lyæus.*

*

*Si ueſcar cynara, ſitim laceſſens:*
*Baccho gratus ero quidem bibenti:*
*Aſt ingratus Apollini canenti:*
*Et quò plus bibero, magis ſcribo.*

*

*Hiſpida ponatur cynare: quæ dulcis Iaccho*
*Potanti ueniat: nec Phœbo grata canenti.*
*Hæc modò purpureo ſurgit glomerata corymbo:*
*Myrtiolo modò crine uiret: deflexaq; collo*
*Nunc adoperta manet: nunc pinea uertice pungit:*
*Nunc ſimilis calatho, ſpinisq; minantibus horret:*
*Pallida nonnunquam tortos imitatur acanthos.*

Centaureum.

*Centauri cur nomen habes? Centaurus, Achilles,*
*Cruda mea ſanat uulnera, doctor ope.*





Liguſticum.

*A' Ligurum patria ſumpſêre Liguſtica nomen*
*Fortia: uim medicam nobile ſemen habet.*

Seſeli.

*Hauſta leuat grauidas partu maturia puella:*
*Quodq; latet membris, corrigit omne malum.*

*

*Irriguis creſcunt non unæ in uallibus herbæ:*
*Arum urſis: apris hederæ: Seſeli utile ceruis.*

Aniſum.

*Vt tibi iucundus ſit anhelitus oris: aniſo*
*Vtere: ſic capitis cedet & inde dolor.*

Carum.

*Grata laboranti ſtomacho ſunt, grata palato*
*Semina: commendant mixta ſubinde cibos.*

Anethum.

*Lumina non acuit benè olentis ſemen anethi:*
*Conciliant ſomnos mollia ſerta leues.*

Meon.

*Quod caule, & folijs benè olentis conſtat anethi:*
*Aeolides Athamas fertur monſtraſſe colonis.*

Cuminum.

*Pallidus es, ſi ſæpe bibas exangue cuminum:*
*Sanguinis hoc imbrem ſiſtere nare poteſt.*

Cuminum ſylueſtre.

*Pota uenenatis medicatur morſibus herba:*
*Purpureus linquit pallida membra color.*

Coriandrum.

*Omne nocet nimium: coriandro ueſcere parcè:*
*Corpore mens ſano ſic tibi ſana manet.*

Accipitrina.

*Si ſtupet obſcuris acies hebetata tenebris:*
*Accipiter ſucci lumina ſanat opè.*

Fœniculum.

*Lumina dum ſerpens acuit, ponitq; ſenectam*
*Fœniculo: tibi me nobilitauit homo.*

Caucalis.

*Fœniculo ſimilis folijs, & ſuauis odore*
*Caucalis, urinam ſæpe comeſa ciet.*

Apium.

*Laus Graiæ uiuax apium meruiſſe coronæ*
*Magna fuit: menſas hæc, tumulosq; decet.*

*

*Cupreſſus procerum uelat funeſta ſepulcra:*
*Aſt apium plebis fronde feretra tegit.*

Apium ſaxatile.

*Cur apium toties onerat ſaxatile menſas?*
*Feralis cibus eſt, ſterilisq; mihi?*

Apium grande.

*Sit radix oleris pulli medicina ſalubris:*
*Si tibi ſubſtillum tormina ſæua facit.*

Smyrnium.

*Tu folijs apium, myrrham mentita ſapore:*
*Seu ſis cruda, cibo, ſeu mihi cocta, places.*

Ibe-



Iberis.

*Affectis Iberis læſa coxendice neruis*
*Vtilis: inculta creſcere gaudet humo.*

Ranunculus.

*Perpetuò nocet haud: ſternutamenta mouere*
*Fert animus? uoti, deſine, campos eris.*

Ptarmica.

*Ex re nomen habet: Sternutamenta repentè*
*Euocat: & forti lædit odore caput.*

Radicula.

*Sternutamentum, elleboro non ſegnius atro,*
*Sit tibi: radicis quæ benè nomen habet.*

Portulaca.

*Si ſapis, illa tuas nôrit rariſsima menſas:*
*Lumina cum ſtomacho lædere nempe ſolet.*

Sinapi.

*Triſte ſenex Samius fertur laudaſſe Sinapi:*
*Sponte laceſſentem ſe lacrymare facit.*

Thlaſpidion.

*Mœſta trahunt uultus acri naſturtia morſu:*
*Fœmina fers uterum quæ grauis, eſſe caue.*

Piperitis.

*Acre ſapit folium mordax piper: hinc piperitis*
*Dicta fuit: plebs hæc prandia uilis amat.*

Piper aquaticum.

*Gaudet aquis, piperisq; refert in ſemine formam:*
*Quam fugit exiguo corpore muſca leuis.*

Per

Perſicaria.

*Perſicus, atq; ſalix folium communicat acre:*
*Hæc prodeſt oculis, uulneribusq; nouis.*

Gingiber.

*Aemula mordacis piperis, ſed commoda radix*
*Gingiberis, Arabum ditia regna beat.*

Zadura.

*Illa poteſt animæ uires recreare labantis:*
*Atq; uenenatis morſibus addit opem.*

Crocus.

*Corycio cor lætificat crocus editus aruo:*
*Vnde decens oculis eſt uigor, unde ſopor.*

Crocus ſylueſtris.

*Si reſeces frondes: manabit rore cruento*
*Cnicus: at in uictum, Pſittace, ſemen amas.*

*

*Ille crocum ſimulat: croceo uelatur amictu:*
*Roſcida luciferos quum Dea iungit equos.*

Smilax.

*Conuerſus Crocus in paruos cum Smilace flores:*
*Conueniens herbæ nomen utriq; dedit.*

Arabis.

*Semine pro piperis, mordax obſonia condit*
*Plantula: Cappadocum gaudet & eſſe cibus.*

Gentiana.

*Gentius Illyrici moderator, & arbiter orbis*
*Me reperit: forma quam Cruciata refert.*

Ra-



Radix Pontica.

*Accipit à fluuio Rha nomen Pontica radix:*
*Pectoris ad uitium quæ facit omne mali.*

Radix Barbarica.

*Barbara terra dedit nomen, non barbara uirtus:*
*Vita potes iecoris ſola uel eſſe mei.*

Radix Rhodia.

*Si cruciat capitis dolor, exagitatq; moleſtus:*
*Te roſeo radix ſanat odore potens.*

Radix Idæa.

*Patria dat nomen celſæ mihi Troadis Ida:*
*Sanguinis, & uentris fluxibus apta bibi.*

Radix Francica.

*Flore refert radix hyacinthum dulcis amœno:*
*Lentiſcum folio: cætera mellis habet.*

*

*Francia fert mellis cultos radicibus hortos:*
*Quas alibi nuſquam Teutona gignit humus.*

Hedera Helix.

*Hæret amans hedera, & uiti blanditur amicæ:*
*Pallida, ſed ramo læta uirente diu.*

Ariſtolochia.

*Quòd leuat anxiferos Lucinæ prompta labores:*
*Ex re nomen habet nobilis herba ſuum.*

Helenium.

*Quòd formæ fauet, & uino cor pota ſerenat:*
*An fuit è lacrymis, Tyndari, nata tuis?*

Herba

*

*Herba eſt, ex Helenæ ferunt Lacænæ*
*Natam lacrymulis ſolo profuſis:*
*Tunc cum purpurei (nefas) pudoris:*
*Idæus ſpolium Paris tuliſſet.*
*Radix huius odora, plena ſucci,*
*Emollita mero, ſuas in illud*
*Quum diffuderit undiquaque uires:*
*In ſe tantum habet efficacitatis:*
*Vt mœſtos animi leuet dolores:*
*Vt mentes hilaret: grauesq; curas,*
*Damnoſasq; moleſtias repellat:*
*Ac demulceat omne, quicquid ægrum eſt:*
*Blandos concilians dehinc ſopores:*
*Ceu Nepenthes Homericæ medelæ:*
*Bugloſsiue medulla temperati.*

Valeriana.

*Cui flos narciſsi, radix eſt æmula nardi:*
*Pota cit urinam: uirus inane facit.*

*

*Phu ueteres dixêre: operoſa ubi cognita uirtus,*
*Ex re nomen habet: quòd ualet in tot opes.*

*

*Concolor eſt partim lacti, partimq; cruori*
*Flos meus: hinc Paphiæ ſpirat odor Veneris.*

Quum



*

*Quum ſim totus amor, de gramine natus amoris:*
*Flos nouus, & puri gramen amoris ero.*

Aloë.

*Si caput, aut ſtomachus dolet: aut ſi prurit acellus,*
*Vtere: putre aloë nil ſinit eſſe diu.*

Oliua.

*Hæc quæ Picenis uenit ſubducta trapetis:*
*Inchoat, atq; eadem finit oliua dapes.*

Capparis.

*Sit medicina mihi, ſit Capparis utilis eſca:*
*Poſcit opem quoties coxa, lien'ue dolens.*

Cucumis.

*Sordibus hic uacuos reddit quoſcunq; meatus:*
*Sæpe uenenatæ, ſed dapis eſſe ſolet.*

*

*Hic tibi ſit cucumis, terris dum Sirius ardet:*
*Tales Tiberius dicitur eſſe dapes.*

Citrullus.

*Bile leuat, tollitq; ſitim, ſtomachoq; calenti*
*Gratus adeſt: medici ſi ſapit arte coqui.*

Cucumis ſylueſtris.

*Si fauces bilis ſiccas inflammat, & angit:*
*Illita ſint ſucco ſæpe palata meo.*

Cucurbita.

*Cœruleus cucumis, tumidoq; cucurbita uentre,*
*Cruda leuat, ſtomacho pernicioſa, ſitim.*

G Co-

## Colocynthis.

*Corpora turbauit Colocynthis inutilis ægra:*
*Semper enim craßis mixta uenena latent.*

## Pepon.

*Si biliosſus es, pepones effuge.*
*Sin calculoſus: iam pepones haud fuge.*

## Porrum.

*Sum porrum: ualui uocem ſeruare Neronis:*
*Inq; Palatinis me numera dapibus.*

## Porri ſectiui.

*Fila Tarentini grauiter redolentia porri*
*Ediſti quoties: oſcula clauſa dabis.*

## Porrum capitatum.

*Mittit præcipuos nemoralis Aricia porros:*
*In niueo uirides ſtipite cerne comas.*

## Allium.

*Radicem betæ comedas ſuper igne peruſtam:*
*Haud animam reddent allia ſumpta grauem.*

*

*Parentis olim ſi quis impia manu*
*Senile guttur fregerat:*
*Edit cicutis allium nocentius:*
*O' dura meſſorum ilia.*

## Cepa.

*Cepa rubens, ſectiq; famem domat area porri:*
*Eſſe tamen noli, qui memor eſſe uoles.*





*

*Porrum, & cepe nefas uiolare, & frangere morſu:*
*O' ſanctas gentes, quis creſcunt numina in hortis.*

## Bulbus.

*Quum ſit anus coniux, & ſint tibi mortua membra:*
*Nil aliud, bulbis quàm ſatur eſſe, potes.*

*

*Candidus Alcathoë qui mittitur urbe Pelaſga*
*Bulbus: & ex horto quæ uenit, herba Salax.*

## Bulbus eſculentus.

*Daunius, an Libycis bulbus tibi miſſus ab oris,*
*An ueniat Megaris: noxius omnis erit.*

## Scilla.

*E' ſcilla nunquàm roſa naſcitur, aut hyacinthus:*
*Quid tum? uirtutes iactat & iſta ſuas.*

## Papauer.

*Grande mihi caput eſt: intus ſunt membra puſilla:*
*Pes unus ſolus: ſed pes longiſsimus unus.*

*

*Fert obliuia: fert ſomnum: fert deniq; mortem:*
*Si plus, quàm par eſt, molle papauer edas.*

## Papauer erraticum.

*Aſpice, quàm ſubitò rutuli coma Punica floris*
*Defluit: & tellus tecta rubore micat.*

## Papauer corniculatum.

*Quod calycem geſtat, referentem cornua tauri:*
*Creſcere ſaxoſis ad mare gaudet agris.*

Boleti.

*Argentum, atq; aurum facile eſt, lenamq;, togamq;*
*Mittere: boletos mittere difficile eſt.*

*

*Vilibus ancipites fungi ponentur amicis:*
*Boletus domino: ſed qualem Claudius êdit.*

Tubera.

*Rumpimus altricem tenero de uertice terram*
*Tubera: boletis menſa ſecunda ſumus.*

Agaricum.

*Quem miſit quondam tellus Agareia: fungus*
*Affecti ſanat corporis omne malum.*

Fungus Lycurius.

*Quòd lapide eſt ortus, forſan mirabere? mirum*
*Maius at eſt, lapidem mox alit ipſe ſuum.*

Fungus.

*Funge uale: genitum nil miror nocte ſub una:*
*Sic properant rapido noxia quæq; pede.*

PALES.

*Eripit interdum, modò dat medicina ſalutem:*
*Quæq; iuuet, monſtrat, quæq; ſit herba nocens.*

*

*Nec tetris pelli poterit mors improba ſuccis:*
*Gramine nec Glauci: nec priſca Pæonis arte.*

VVOLF-



VVOLFGANGO RHELINGERO, CAROLI VVOLFGANGI F. PATRICIO *Auguſtano.*

Pan pecorum cuſtos: uenatrix caſta Diana
Quadrupedum: ſyluis gaudet uterque Deus.
Tuta mihi VVOLFGANGE placet uenatio: tuta
Cura pecûs: ſi uis, ſis comes ergo meus.
Non opus eſt canibus, non caſsibus eſt opus ullis:
Incidet in nudas præda petita manus.

# NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII P. L.

## Leporarium Poeticum.

### Leo.

*Quadrupedum rex quum Leo ſis, dominuſq; ferarũ:*
*Ad Galli cantum cur, ſtrepitumq; fugis?*

*

*Auditur quantum Maſſyla per auia murmur:*
*Innumero quoties ſylua leone furit.*

*

*Corpora magnanimo ſatis eſt proſtraſſe leoni:*
*Pugna ſuum finem, quum iacet hoſtis, habet.*

*

*Trux leo proſtratis parcit: ſed dentibus urget,*
*Quos uidet armata ſumere tela manu.*

*

*Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonum:*
*Nec feritas, animo quæ fuit antè, manet.*

### Leæna.

*Torua leæna lupum ſequitur: lupus ipſe capellam:*
*Florentem cytiſum ſequitur laſciua capella.*

*

*Par eſt leænæ, & fœminæ crudelitas.*





### Pardus.

*Ille refert patrem maculis, & tergore matrem:*
*Vulneribuſq; ſuis obuius ire ſolet.*

### Pardalis.

*Sæua, feroxq; licet, poſito Panthæra Lyæo*
*Ebria, captiuas dat ſine lite manus.*

*

*Naturam domat ars magiſtra: cernis*
*Picto quod iuga delicata collo*
*Pardus ſuſtinet: improbæq; tigres*
*Indulgent patientiam flagello.*

### Tigris.

*Amnis nomen habet: Zephyrus cui uirq;, paterq;:*
*Ocyor at Zephyro curſus, & amne ſuus.*

*

*Lambere ſecuri dextram conſueta magiſtri:*
*Tigris ab Hircano gloria rara iugo.*

*

*Obſequium tigreſq; domat, tumidoſq; leones:*
*Ruſtica paulatim taurus aratra ſubit.*

### Elephas.

*Fulcra toris, ſimulacra Ioui do: numen adoro:*
*Arma, uiros, & opes in fera bella ueho.*

*

*Quis tollet ſuperos? quis numina ſancta negabit?*
*Quum fera perpetuos ſentiat eſſe Deos.*

*

Quæ nigri iuſsis obtemperat Inda magiſtri
Bellua: ſeruitium tempore uicta dabit.

*

Parturit ingentem prolem bos luca, per annos
Fœta decem: parit hinc nobile dentis ebur.

*

Grunnitum ſuis immundi cane peius, & angue,
Indus Elephas inuiſum habet.
Obſtreperos rabulas, qui litibus omnia miſcent,
Odiſſe par eſt principem.

*

Dum rigidos artus elephas, dum membra quiete
Subleuat: aſſuetis nititur arboribus.
Quas ubi uenator didicit, ſuccidit ab imo:
Paulatim recubans ſic fera mole ruit.

Rhinoceros.

Dic mihi, quæ ſuperis ſint acceptiſsima dona?
Principium naſi Rhinocerotis amant.

*

Humanos Elephas retinet ſub pectore ſenſus:
Rhinoceros nunquàm uictus ab hoſte redit.

Monoceros.

Theſauros ornat regum, preciumq́; rependit:
Et cornu præſens hoc leuat omne malum.

Alce.



Alce.

Fortior ambiguum, curſu ſit an ocyor Alce:
Pelle tegor: morbis ungula præſtet opem.

*

Alce non cubat: & ſi caſu concidit ullo,
Nequicquam rigido conſurgere poplite tentat.

Aper.

Qui Diomedeis metuendus ſetiger agris
Aetola cecidit cuſpide, talis erat.

*

Thuſca glandis aper populator, & ilice multa
Impiger: Aetolæ fama ſecunda feræ.

*

Dente fremens, oculis trux, ſpumans ore, feroxq́;
Alcidæ Nemeæ terror, & Arcas aper.

*

Summa tuæ Meleagre fuit quæ gloria famæ:
Quantula Carpophori portio, fuſus aper.

Ceruus.

Hic erat ille tuis domitus Cypariſſe capiſtris:
An magis iſte tuus Syluia ceruus erat?

*

Laſſus aqua uires reparo: ſpadixq́; colore,
Cornicis ſupero ſecula longa quater.

*

Deijcit Arcturi ſua cornua ſidere ceruus:
Et ſenij reparat ſecula longa ſui.

G 5 Præ-

*

*Prælonga commutare lætatur nouo*
*Senex nouellis uere ceruus cornua.*

*

*Viuacem admittent tua ſi conuiuia ceruum:*
*Peſtiferam febrem non timuiſſe licet.*

*

*Vt cerua fontem anhela quærit anxiè:*
*Quam uis canum ſagacium*
*Vexauit: urit ardua dum Sol igneus:*
*Sic te Deus ter maxime*
*Deſiderat anima mea: cur meum tuam*
*Sic expetit præſentiam.*

*

*Quid, Cerue, Creſſa fixus arundine*
*Laxas habenas præcipiti fugæ?*
*Hæc ſors amantis, quem fuga concitat:*
*Mentem intus exeſt uulnus atrox nimis.*

Cerua.

*Cerua parem ſequitur: ſerpens ſerpente tenetur:*
*Hæret adulterio cum cane nexa canis.*

*

*Non auis aucupibus monſtrat, qua parte petatur:*
*Non docet infeſtos currere cerua canes.*

*

*Haud ſe uicino dubitat committere tecto:*
*Quæ fugit infeſtos territa cerua canes.*

Quæ



*

*Quæ ſemel eſt triplici pro uirgine cæſa Dianæ:*
*Nunc quoq; pro nulla uirgine cerua cadit.*

Subulo.

*Subula dat nomen ceruo: cui cornua ramis*
*Plana carent: tabi pulmo medela uenit.*

Tragelaphus.

*Eſt fera, cui geminas media de fronte per aures*
*Tollitur excelſum ramoſo uertice cornu:*
*Ipſa bouis nomenq; refert, ceruiq; figuram.*

Rangifer.

*Corniger, ac timidus, pedibusq; fugacibus Euro*
*Ocyor: & furias cui citat alma Venus.*

Hinnulus.

*Feſſus anhelando calidos ſuſpirat ob æſtus*
*Hinnulus irriguas, dum ſitis urget, aquas.*

Caprea.

*Pendentem ſumma capream de rupe uidebis:*
*Caſuram ſperes: decipit illa canes.*

Capreolus.

*Delicium paruo donabis dorcada nato:*
*Iactatis ſolet hunc mittere turba togis.*

*

*Tàm diſpar aquilæ columba non eſt:*
*Quàm dorcas rigido fugax leoni.*

Ibex

### Ibex.

*Parcitur in Rhetis Ibex tibi, Panos amice:*
*Exornas quorum cornibus arma tuis.*

### Dama.

*Dente timetur aper: defendunt cornua ceruum:*
*Imbelles damæ quid niſi præda ſumus?*

*

*Aſpicis imbelles tentent quàm fortia damæ*
*Prælia: tàm timidis quanta ſit ira feris.*
*In mortem paruis concurrere frontibus audent:*
*Vis Cæſar damis parcere? mitte canes.*

### Lepus.

*Inter aues turdus (ſi quis me iudice certet)*
*Inter quadrupedes gloria prima lepus.*

*

*Prolis amans, gignit fœtus, lactatq; tenellos:*
*Dumq; ſuperfœtat, dum parit, uſq; coit.*

*

*Eſſe quid hoc dicam, quod non tua lumina condis:*
*Languida ſi dulci membra quiete leuas.*

*

*Non ſatis Aonios quod dat tibi Muſa lepóres:*
*Dat lepores etiam uirgo Diana ſuos.*

### Cuniculus.

*Gaudet in effoßis habitare cuniculus antris:*
*Monſtrauit tacitas hoſtibus ille uias.*

Cre-



*

*Crediderís leporem: ſic forma ſimillima fallit:*
*Ambo ſuperfœtant nixibus, ambo pauent.*

### Vrſa.

*Sit placidus licet, & lambat digitosq;, manusq;:*
*Si dolor, & bilis iuſſerit, uerſus erit.*

*

*Quid niſi pondus iners, ſtolidæq; ferocia mentis*
*Vrſe tibi? tecum ludere nolo magis.*

*

*Trux lupus, & turpes inſtant morientibus urſi:*
*Et quæcunq; minor nobilitate fera eſt.*

*

*Arcturi ceruos: Delphini ſidere tauros:*
*Vere nouo rigidos Venus ignea concitat urſos.*

### Vrſus.

*Se profert antro, catulis comitantibus, urſa:*
*Martius ad plenum tendit ouile lupus.*

*

*Magna, minorq; feræ, quarum regis altera Graias:*
*Altera Sythonias, utraque ſicca, rates.*

*

*Qualis urſa prius ſolet catellos*
*Informes dare: quàm iubar rotantis*
*Se Phœbi uideant: eosq; lambens*
*Paulatim pia mater elaborat.*

Lin-

*Lingua: tale Poëma debet omnis*
*Bonus fingere, ſæpe corrigendo.*

Lupus.

*Dente minax, ſtimulante fame, cupiduſq́; cruoris,*
*Incuſtoditum captat ouile lupus.*

*

*Impius, & gaudens, & cæde Lycaon,*
*Fingitur in ſæui membra abijſſe lupi.*

*

*Triſte lupus ſtabulis: maturis frugibus imber:*
*Arboribus uenti: nobis Amaryllidos iræ.*

*

*Impaſtus ſtabulis ſæuit lupus: ubere raptos*
*Dilaniatq́; ferus miſeris cum matribus agnos.*

*

*Omnibus eſſe lupos licet in regione luporum:*
*Inter pygmeos non pudet eſſe breuem.*

Lupa.

*Ad multas lupa tendit oues: prædetur ut unam:*
*Et Iouis ad multas deuolat ales aues.*

Lynx.

*Lynx facit inſidias homini, pecoriq́;, feriſq́;:*
*Et penetrat uiſu corpora denſa ſuo.*

*

*Triptolemum Lyncus capientem nocte quietem*
*Dum iugulare parat: Lyn citò factus abit.*

Nos



*

*Nos aper auditu: lynx uiſu: ſimia guſtu:*
*Vultur odoratu præcellit: aranea tactu.*

Oryx.

*Matutinarum non ultima præda ferarum*
*Sæuus Oryx: conſtat quod mihi morte canum.*

Vulpes.

*Callida uerrit humum longa uulpecula cauda:*
*Simia quid rides? ſi ſapis, abde nates.*

*

*Exteriora gerit qui ſimplicis ora columbæ:*
*Interiora uafræ pectora uulpis habet.*

Simius.

*Simius eſt homini ſimilis, ſed beſtia turpis:*
*Formoſos catulos credit & eſſe ſuos.*

*

*Simia Therſiten (ſi me non omnia fallunt)*
*Obtegit: hic rixas, hic fera bella mouet.*

*

*Simia dum laqueos imitari ſtulta doloſos*
*Geſtit: in inſidijs ſe capit ipſa ſuis.*

*

*Laqueo uetuſtus ſimius non prenditur:*
*Capitur quidem ille: capitur autem ſerius.*

*

*Admirata putat formoſum ſimia fœtum:*
*Nempe ſolet pulcrum cuiq́; placere ſuum.*

Cer-

## Cercopithecus.

*Callidus emiſſas eludere ſimius haſtas:*
*Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.*

*

*Effigies ſacri nitet aurea cercopitheci:*
*Dimidio magicæ reſonant ubi Memnone chordæ.*

## Cynocephalus.

*Lacte ferunt Nomadum gentem uixiſſe ferino:*
*Et mulgere truces ſæpe cynocephalos.*

## Satyrus.

*Dum Satyrus pulcri miracula ſuſpicit ignis:*
*Oſcula dans flammæ, raptus ab igne perit.*

*

*Perfurit in Venerem Satyrorum prona iuuentus:*
*Et præter formam nil habet hæc hominis.*

## Catus.

*Pannonicas nobis nunquam dedit Vmbria catas:*
*Mauult hæc dominæ mittere dona Pudens.*

*

*Inſidijs captat mures, ſequiturq; nocentes:*
*Triticeo felis pellat ut à cumulo.*

*

*Murilegum referens tua conde cacamina felem:*
*Nec tunicas thuri perde, crocoq; ſuas.*

*

*Quàm ſatius fuerit cautum te fingere felem:*
*Qui ſua ſub cœcum ſtercora uerrit acus.*

Mus.



## Mus.

*Regnator penoris, menſæq; arroſor herilis,*
*Sub terris tutum mus ſibi fecit iter.*

*

*Parua mihi domus eſt: ſed ianua ſemper aperta:*
*Exiguo ſumptu, furtiua uiuo ſagina.*

## Glis.

*Tota mihi dormitur hyems: & pinguior illo*
*Tempore ſum: quo me nil niſi ſomnus alit.*

*

*Glis animal: glis terra tenax: glis lappa uocatur:*
*Inſigni patrem nutrit amore ſuum.*

## Sorex.

*In multos roto ſaxa canes: latratq; petitus:*
*Indicioq; Sorex proditur ipſa ſuo.*

## Nitedula.

*Sub terris habitans, facit horrea ridiculus mus:*
*Eludit meſſes: & populatur agros.*

*

*Vrbis opes ego nil curo: me ſylua, canusq;*
*Tutus ab inſidijs tenui ſolabitur eruo.*

## Mus araneus.

*Morſu lethifero qui læſit araneolus mus,*
*Allia da: procul hic dira aconita fugat.*

## Muſtela.

*Ore paris muſtela rapax, & concipis aure:*
*Tu magnis auibus paruula terror eris.*

H Aure

*

*Aure concipit, parit*
*Muſtela fœtum poſtea in lucem ore:*
*Aure dicta concipe:*
*Diu ut recocta parciùs prome ore.*

*

*Quicquid agis, muſtela tibi ſi occurrit, omitte:*
*Signa malæ ſortis beſtia praua gerit.*

Mus uarius.

*Mus uarius pelles fluidis dat ueſtibus aptas:*
*Pontica quem tellus fert, Venetusq́; ſinus.*

Mus Scythicus.

*Quum tibi ſit natura ſalax, & multa libido:*
*Romanas ornas ſic benè pelle nurus.*

Mus Noricus.

*Venturæ metuens hyemi, tu frugis aceruos*
*Conuehis: atq; togas margine pellis obit.*

Mus Alpinus.

*Taxus, & Alpinus latebroſas incolit Alpes:*
*Pinguem quem ſomno dat tibi bruma cibum.*

Ictis, Furo.

*Ictis aquis habitans piſces uenatur, auesq́;*
*Plus furo, quàm ueneno, lædit uulnere.*

Martes.

*Pellibus inducit precioſis pallia Martes:*
*Venator capta Marte ſuperbus adeſt.*

Fiber.



Fiber.

*Pro cara cupio teſtes abſcindere uita:*
*Ne pereat, nimium nauita iactat onus.*

*

*Mordicùs ipſe ſibi medicata uirilia uellit:*
*Inſidias uafer hac effugit arte fiber.*

*

*Se facit Eunuchum, cupiens euadere damnó*
*Teſticuli: quoniam medicatum intelligit inguen.*

Putorius.

*Putet, oletq́; malè feruens Putorius ira:*
*Gallinas morſu ſtrangulat, oua rapit.*

Lutra.

*Me partim tellus, partim leuis educat unda:*
*Piſce natat multo ſed mea parua domus.*

Muſcus.

*Muſcus Arabs celebris mihi gignitur unguine ſuauis*
*Maturis uomicis erutus, ille placet.*

Melis.

*Mellis amans, luciſq́; fugax Melis, aſpera, mordax:*
*Sufflata morſus arceo pelle canum.*

Mus Indicus.

*Delectat Marium ſi pernicioſus Ichneumon:*
*Me cum ſimiolo ludere nónne iuuet?*

Talpa.

*Sub terris, oculis captus, ſibi talpa cubile*
*Dum fodit: agricolis, hiſpidus aure, nocet.*

*

*Quid tibi cum magno commune eſt talpa leone?*
*Non cadit in turpes nobilis ira feras.*

Sciurus.

*Cauda mihi domus eſt, inſtar pauonis, & umbra:*
*Subleuat hæc eadem me procul ala uolans.*

Erinaceus.

*Imbres, & uentos cautus præſagit Echinus:*
*Et nutans paruo pondere ſiſtit onus.*

*

*Spicula me uoluunt totum defixa per orbem:*
*Sed liquor infracto cortice gratus erit.*

*

*Leonis artes in ſolo ſanè probo:*
*At magis Echini comprobo miſeros dolos.*

Hiſtrix.

*Sus ferus, & canibus, iaculis bicoloribus, hiſtrix*
*Noxia: pro telis utitur illa ſuis.*

*

*Spinis miſſilibus canes, uiroſq;*
*Arcebit procul, & fugabit hiſtrix.*

*

*Vt ſua ne iaculans magis hiſtrix ſpicula mittat:*
*Sectantes prohibe ponè latrare canes.*

*

*Spicula ſunt humili pax hæc: ſed bella ſuperbo:*
*Vulnere de noſtro morſq; ſaluſq; uenit.*

Biſon.



Biſon.

*Fronte minax, oculiſq; Biſon, colloq; iubatus:*
*Cornibus ad cœlum corpora prenſa iacit.*

Vrus.

*Ventilat annoſas quercus, & robora magna*
*Syluarum, latis cornibus, urus atrox.*

Bucephalus.

*Gloria nobilium iacet hîc inſignis equorum*
*Bucephalus: dubites bos ſit, an acer equus.*

Bubalus.

*Bubalus hinc abeat: non intret prandia noſtra:*
*Non edat hinc quiſquam: ſub iuga ſemper eat.*

*

*Bubalus à ſtimulo nequicquam motus acuto:*
*Lentus ad agricolæ uerbere pergit opus.*

Bos.

*Mactato boue ſacra facit diuina ſacerdos:*
*Fortis arat ualido ruſticus arua boue.*

Bos arator.

*Nata iugo ceruix: operi terga apta ferendo*
*Sunt mihi: cultor agri bos, hominumq; cibus.*

*

*Bos aret, aut mortem ſenioribus imputet annis:*
*Horriferum contra Borean ouis arma miniſtret.*

*

*Colla iube domitos oneri ſupponere tauros:*
*Sauciet ut duram uomer aduncus humum.*

 Cernis

*

*Cernis, ut in duris (& quid boue firmius?) aruis*
*Fortia taurorum corpora frangat opus?*

Taurus.

*Quem taurum metuis, uitulum mulcere ſolebas:*
*Si benè nutrieris, tempore pinguis erit.*

*

*Taurus in aduerſum cornu ruit obuius hoſtem:*
*Atq; laceſsitus dente minatur aper.*

*

*Dux pecoris taurus, circo furioſus aperto,*
*Pannoſas cornu iactat ad aſtra pilas.*

*

*Aſſuetos tauri ſaltus, aſſueta leones*
*(Nec feritas illos impedit) antra petunt.*

*

*Ductus ab armento taurus detrectat aratrum:*
*Subtrahit & duro colla nouella iugo.*

Vacca.

*Sit fœcunda licet, iuncto niſi uacca marito,*
*Multiplices fœtus edere nulla poteſt.*

Taura.

*Si quæ uacca fuit ſterilis, mihi taura uocetur:*
*Sic Varro uoluit, ſic Columella loqui.*

Forda.

*Forda ferens bos eſt, fœcundáq; dicta ferendo:*
*Hinc etiam fœtus nomen habere putant.*





Bos lactaria.

*Ira mugit uitulo ſua mater ab ubere rapto:*
*Et quærit fœtus per nemus omne ſuos.*

Vitulus.

*Dum tener eſt, uitulus laſciuit: aratra iuuencus*
*Aut ſubit: aut pecoris uir cupit eſſe ſui.*

*

*Acris equi ſoboles magno ſic puluere gaudet:*
*Vt uitulus molli prælia fronte cupit.*

Iuuencus.

*Aſpicis ut prenſos urant iuga prima iuuencos:*
*Vt noua uelocem cingula lædat equum.*

*

*Scilicet ut teneros lædunt iuga prima iuuencos:*
*Tempore ſic leue fit, quod benè fertur, onus.*

*

*Scilicet & ueteres fugiunt iuga ſæpe iuuenci:*
*Et domitus freno ſæpe repugnat equus.*

*

*Tempore ruricolæ patiens fit taurus aratri:*
*Præbet & inuito colla premenda iugo.*

*

*Verbera plura ferunt, quàm quos iuuat uſus aratri:*
*Detrectant preſsi dum iuga prima boues.*

Iuuenca.

*Læta ſalitur ouis: tauro quoq; læta iuuenca eſt:*
*Suſtinet immundum ſima capella marem.*

*

*Depoſita ſequitur taurus feritate iuuencam:*
*Quem toti ſaltus, quem nemus omne tremit.*

*

*Inachis induitur forma, uultuq; iuuencæ*
*A Ioue dum coniunx imperioſa uenit.*

Bucula Myronis.

*Tityre paſce gregem procul: hinc ne uiuida flantem*
*Cum bobus uitulam fortè Myronis agas.*

*

*Quòd niſi crura Myron lapidem mihi uinxet ad iſtū:*
*Cum reliquis paſtum bobus itura fui.*

Ouis.

*Clauſa bidens ſtabulis, homini lac dulce miniſtrat:*
*Et molli lanæ uellere ueſtit ouis.*

*

*Pondera portat equus: bos terram ſulcat aratro:*
*Vellera portat ouis: ſeruat ouile canis.*

*

*Non ſolùm taurus ferit uncis cornibus hoſtem:*
*Verùm etiam inſtanti læſa repugnat ouis.*

*

*Læta ſaginati depaſcunt prata iuuenci:*
*Lanigeræ carpunt ſertile gramen oues.*

*

*Paſcite oues teneras herbas per pabula læta:*
*Paſcite, nec plenis ignauæ parcite campis.*

Aries.



Aries.

*Cornibus armatus per tempora dura recuruis:*
*Inter oues aries dux gregis, atq; pater.*

*

*Cum mare trux aries cornu decertat: at idem*
*Frontem dilectæ lædere parcit ouis.*

Veruex.

*Idibus in magni caſtus Iouis æde ſacerdos*
*Semimaris flammis uiſcera libat ouis.*

Agnus.

*Nec cornu, nec dente, nec ungue nocere laborat,*
*Cœlicolis agnus uictima grata Dijs.*

*

*Molle pecus, quacunq; poteſt, defendere ſeſe*
*Certat: & accipitri parua repugnat auis.*

*

*Lupis, & anguis quanta ſortitò obtigit,*
*Tecum mihi diſcordia eſt.*

Agna.

*Sit petulans aries: conceptaq; femina coniux*
*Reddat: & in ſtabulis multa ſit agna meis.*

*

*Sæpe canem uiſum longè fugit agna: lupumq;*
*Credit: & ipſa ſuam neſcia uitat opem.*

*

*Non procul à ſtabulis audet diſcedere: ſi qua*
*Excuſſa eſt auidi dentibus agna lupi.*

 Capra.

Capra.

*Florentem cytiſum ſequitur laſciua capella:*
*Scilicet hinc lactis copia magna fluit.*

*

*Dulce apibus flores: riui ſitientibus herbis:*
*Gramen oui: capræ cytiſus: Amaryllis Iolæ.*

*

*Ecce petunt rupes, præruptaq; ſaxa capellæ:*
*Vt referant hœdis ubera plena ſuis.*

*

*Alma Iouis nutrix: longo ueſtita capillo:*
*Cuſtodi pecoris tremula reſpondeo lingua.*

Caper.

*Rode caper uitem: mox Bacchi ductus ad aram*
*Stabis: & in uerubus membra cremanda dabis.*

Hircus.

*Ciniphij barbas hirci, ſetasq; comantes*
*An neſcis nautis tegmina tuta dare?*

Hœdus.

*Laſciuum pecus, & uiridi non utile Baccho*
*Dat pœnas: nocuit iam tener ille Deo.*

Sus.

*Cuiq; homini eſt ſua, quam ſectatur, amatq;, uoluptas:*
*Sylua iuuat capras: unda, lutumq; ſues.*

*

*Sus tibi cœnoſo ſit cœna domeſticus ore:*
*Grata ferat nobis menſa niualis aprum.*

Porca.



Porca.

*Prima Ceres auidæ gauiſa eſt ſanguine porcæ:*
*Vlta ſuas merita cæde nocentis opes.*

Verres.

*Imminens uillæ tua pinus eſto:*
*Quam per exactos ego lætus annos*
*Verris obliquum meditantis ictum*
*Sanguine donem.*

Maialis.

*Iſte tibi faciet bona Saturnalia porcus:*
*Inter ſpumantes ilice paſtus agros.*

Scrofa.

*Sus fera iam grauior maturi pignore uentris,*
*Emiſit fœtum, uulnere facta parens.*

*

*Icta graui telo, confoſſaq; uulnere mater*
*Sus pariter uitam perdidit, atq; dedit.*

*

*Vt ſcrofæ, uobis præſentibus, accidit iſti:*
*Sic mihi contingat: falle ſi cupiam.*

Porcellus.

*Lacte mero paſtum pigræ mihi matris alumnum*
*Ponat: & Aetola de ſue diues edat.*

Canis.

*Cauda blandus, & ore minax, & naribus acer:*
*Fidus heri cuſtos, excubitorq; canis.*

Inter

*

*Inter quadrupedes canis fidelis:*
*Inter quadrupedes canis uoluptas:*
*Inter quadrupedes canis patronum*
*Cognoſcit, ueneratur, & tuetur.*

*

*Exta canum Triuiæ uidi libare Sabæos:*
*Et quicunq; tuas accolit Aetne niues.*

Canis pecuarius.

*Fida cani pecoris cuſtodia, fida ſuorum:*
*Peruigil occluſas excubat ante fores.*

*

*Paſtor inæquali modulatur arundine carmen:*
*Nec deſunt comites, ſedula turba, canes.*

Moloſſus.

*Nec fur, nec lupus horrendus, cuſtode Moloſſo:*
*Paſcere quem pingui te decet uſq; fero.*

*

*Fidus Moloſſus acer, & fuluus Lacon*
*Amica uis paſtoribus.*

*

*Arripit en lapidem catulus, morſuq; fatigat:*
*Nec percuſſori mutua damna facit.*

*

*Quid lapides mordes iactos, morſuq; laceßis?*
*Hæc tibi, non alijs ira nocere ſolet.*

Canis



Canis Britannicus.

*Quanta fides, utinam ſolertia naris, & armis*
*Tanta foret uirtus, & fuga tanta fugæ.*

Canis uenaticus.

*In nemus ire libet: preßiſq; in retia ceruis*
*Hortari celeres per iuga ſumma canes.*

*

*Cernis ut exitio leporis celer imminet umber:*
*Et fremit inſultans, frenaq; mandit equus.*

*

*Amphitheatrales inter nutrita magiſtros*
*Venatrix, ſyluis aſpera, blanda domi.*

*

*Sæpe canes fruſtra nemoroſis montibus errant:*
*Inq; plagas nullo ceruus agente cadit.*

Canis Gallicus.

*Quæ laus prima canum? quibus eſt audacia præceps:*
*Venandiq; ſagax uirtus, uireſq; ſequendi.*

Canis uertagus.

*Non ſibi, ſed domino uenatur uertagus acer:*
*Illæſum leporem qui tibi dente feret.*

*

*Ne doleat morſa tuus hiſtrice uertage rictus:*
*Vtilius poterit dama, lepuſq; capi.*

Canis ædituus.

*Exagitant & lar, & turba Diania fures:*
*Peruigilantq; lares, peruigilantq; canes.*

Hyæna.

### Hyæna.

*Callida,& (ut perhibent) humanæ uocis hyæna*
*Aemula:compellat nomine quenq; ſuo.*

*

*Quæ blando humanas imitatur carmine uoces:*
*Dum ſexum mutat:fœmina,masq́; modò eſt.*

*

*Alternare uices Veneris quòd te iuuat uſq;:*
*Non lupa,ſed uerum nomen hyæna tibi eſt.*

### Equus.

*Tempore paret equus lentis animoſus habenis:*
*Et placido duros accipit ore lupos.*

*

*Tunc benè fortis equus reſerato carcere currit:*
*Quum,quos prætereat,quóſue ſequatur,habet.*

*

*Acer,& ad palmæ per ſe curſurus honores:*
*Si tamen horteris:fortiùs ibit equus.*

*

*Ruſticus expertum deflet cecidiſſe iuuencum:*
*Cum quo conſenuit,miles honorat equum.*

*

*Sic laudamus equum,facili cui plurima palma*
*Feruet:& exultat rauco uictoria circo.*

*

*Nobilis hic,quocunq; uenit de gramine,cuius*
*Clara fuga ante alios,& primus in æquore puluis.*

Cui



*

*Cui caput argutum eſt,breuis aluus,obeſaq́; terga,*
*Ardua cui ceruix:ille probatur equus.*

*

*Placat equo Perſis radijs Hyperiona cinctum:*
*Ne detur celeri uictima tarda Deo.*

### Caballus.

*Optat ephippia bos piger:optat arare caballus:*
*Sic ſua ſors odio cuilibet eſſe ſolet.*

*

*Bella geruntur equis, uacuant quæ gentibus orbem:*
*Quæ replent Erebum,bella geruntur equis.*

### Aſturco.

*Hic breuis,ad numerum rapidos qui colligit ungues,*
*Venit ab auriferis gentibus Aſtur equus.*

### Canterius.

*Semiuir excmpto mox fies teſte quietus:*
*Qui fueras pridem luxurioſus equus.*

### Equus refractarius.

*Aſper equus duris contunditur ora lupatis:*
*Frena minus ſentit,quiſquis ad arma facit.*

*

*Abripit in præceps dominum,ſpumantia fruſtra*
*Ora retentantem,durior oris equus.*

*

*Vidi ego nuper equum contra ſua frena tenacem*
*Ore reluctanti,fulminis,ire,modo.*

Equa.

*

*Dum tener eſt fœtus: mammoſa laliſio ſurgit*
*Fœmina: mox onager, quum nemus intret, erit.*

Mulus.

*Ex alijs naſcor: nec quicquam naſcitur ex me:*
*Diſsimilis matri, diſsimilisq́; patri.*

Burdo.

*Clitellis aptus, qui fert obſonia dorſo*
*Mollia: ſe dura carice pauper alit.*

*

*Auri ſæpe gerunt ingentia pondera dorſo*
*Muli: ſed ſiccum non niſi gramen edunt.*

Hinnus.

*Quòd ſi mulus oporteat, uel hinnus*
*Fias, Moreſe: dic, migrare in utrum*
*Velis? ex aſina, atq; equo fit hinnus:*
*Mulus ex aſino, atq; equa. Quid hæres?*
*Noui te benè, aſellus eſſe mauis.*

*

*Sis aſinus, quemcunq́; aſinum ſors aſpera fecit:*
*Qui placidè ſortem ferre ſcit, ille ſapit.*

*

*Ne rudibus, caueat, quicquam committat aſellis:*
*Res benè curatas qui uolet eſſe ſuas.*

Pumilæ mulæ.

*His tibi de mulis non eſt metuenda ruina:*
*Altius in terra pœnè ſedere potes.*

Mu-



Mulæ Gallicæ.

*Miraris, ſi uoce feras pacauerit Orpheus?*
*Quum pronas pecudes Gallica uerba regant.*

P A N.

*Peſtiferæ plantis hyemes: ſqualorq́; liquori:*
*Alitibus laquei: retia rara feris.*

I 2 CARO-

# CAROLO RHELINGERO, CAROLI WOLFGANGI F. PATRICIO *Auguſtano.*

Fiſtula dulce canit:uolucrem dum decipit auceps:
  Sed mea uos nunquàm fiſtula fallet aues.
Fingere fas nidos,& plumis oua fouere:
  Dum facili dulces editis ore ſonos.
Aucupor innocuæ cantus ego CAROLE turbæ:
  Sic auceps mecum,qui uolet,eſſe poteſt.





# NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII P. L.

## AVIARIVM POETICVM.

### Aquila.

*Rex olor inter aues:aquila eſt regina,Tonanti*
  *Grata Ioui:pedibus fulmina miſſa gerit.*

*

*Sum uolucrum regina,Ioui gratiſſima:lumen*
  *Sollicitans proprio lumine Phœbe tuum.*

*

*Olim aquila è terris Ganymedem inuexit Olympo:*
  *Hinc ales magni dicitur eſſe Iouis.*

*

*Aethereas aquila puerum portante per auras:*
  *Illæſum timidis unguibus hæſit onus.*

*

*Dic mihi,quem portes,uolucrum regina? Tonantem.*
  *Nulla manu quare fulmina geſtat? amat.*

*

*Non pauidam Veneris uolucrem,Iouis armiger ales:*
  *Imbellem generat non leo fortis ouem.*

Aquila marina.

*Exploratores oculis haliæetus ignes*
*Si perfert, alitur: ſin minus, haud probus eſt.*

*

*Sola queo Phœbi radios ſpectare nitentes:*
*Non frangunt aciem lumina clara meam.*

Aquila montana.

*Clangit iners uictu, lucorum ſemper amatrix:*
*Degener, & queritur mœſta, pauensq; famem.*

Aquila leporaria.

*Sola ſuos fœtus aquilarum paſcit, alitq;:*
*Fortis, & ætherij fida miniſtra Iouis.*

Aquila anataria.

*Plancus amat cannas: anates uenatur, auesq;,*
*Corpora quæ gaudent mergere ſemper aquis.*

Aquila hinnularia.

*Freta ſuis montes, & ſyluas uiribus intrat*
*Ales, cui nomen candida cauda facit.*

Oſsifraga.

*Dum pullos aquilæ nutricor ſponte, meosq;:*
*Fida parens, altrix iure benigna uocor.*

Accipiter.

*Prædo fuit uolucrum: famulus nunc aucupis idem*
*Decipit, & captas non ſibi mœret aues.*

*

*Odimus accipitrem, quia uiuit ſemper in armis;*
*Et pauidum ſolitos in pecus ire lupos.*

Ac-



*

*Accipitrem metuens pennis trepidantibus ales,*
*Audet in humanos feſſa uenire ſinus.*

*

*Vultur, & accipiter, pardus, tigriſq; relinquit*
*Potum, eſcamq; alijs, edit ut, atq; bibit.*

Accipiter palumbarius.

*Quæ nunc Thiſbeas agitat mutata columbas:*
*Mercurio ſacra ſit Dædalionis auis.*

Accipiter fringillarius.

*Fringillas uenans, pugnas, & prælia tento:*
*Aëria nidos arbore fingo meos.*

Accipiter rubetarius.

*Perſequitur gallos, pedibusq; euiſcerat uncis:*
*Si non ſit prædæ compos, inermis abit.*

Buteo.

*Optimus augurijs ſum Buteo: conſulo rebus,*
*In læuum uergit quum mea penna latus.*

Circus.

*Quum pede ſim claudus, uinco pernicibus alis:*
*Nuncius eſſe celer gaudeo Phœbe tuus.*

Tinnunculus.

*Qui turres, truncosq; cauos, & tecta domorum*
*Summa colit: mures ungue rigente capit.*

Cymindis.

*Chalcida Dij perhibent: homines dixêre Cymindim:*
*Alite quæ bellum cum Iouis acre gerit.*

 Ciris.

### Ciris.

*Scylla fuit quondam uirgo: nunc facta uolucris*
*Ciris, & à tonſa nomen adepta coma.*

*

*Scylla furens animis, ſpumantibus inſilit undis:*
*Fit, complexa ratem, Ciris, & auget aues.*

### Niſus.

*Captat aues Niſus magno ſtridore per auras:*
*Callidus in notas ire redire manus.*

*

*Cantantes uolucres uenatur in aëre Niſus:*
*Et curuo lacerans impius ungue necat.*

*

*Apparet liquido ſublimis in aëre Niſus:*
*Et pro purpureo pœnas dat Scylla capillo.*

### Falco.

*In ſublime uolans tenuem ſecat aëra falco:*
*Sed paſcuntur humi graculus, anſer, anas.*

*

*Aſpicis, ut ſummum conſcendens æthera falco*
*Sublimis reliquas eminet inter aues.*

### Falco ſacer.

*Obſcuras penetro nubes: uenatibus inſto*
*Falco: nec aërium me premit ulla ſitis.*

*

*Dum famis, & ſitis oblitus, iuga ſumma pererro:*
*Aucupio mens eſt dedita tota ſuo.*

Miluus.



### Miluus.

*Miluus edax rapto uiuit: mox euomit eſcam:*
*Sic malè parta, malè copia ſæpe perit.*

*

*In magnis timidus, ſed paruis miluius audax:*
*Arripit è manibus ſæpius ore cibum.*

*

*Nunquam rete accipitri tenditur, neq; miluio:*
*Qui malè faciũt nobis: illis qui nihil faciũt, tẽditur.*

### Vultur.

*Mellis apes longè ducuntur odore: cadauer*
*Præſentit longo tempore uultur edax.*

*

*Vultur edax fœdum tabo ſtillante cadauer*
*Deuorat: atq; auidæ ſtant ſuper oſſa canes.*

*

*Cui uultur iecur ultimum pererrat:*
*Et pectus trahit, intimasq; fibras:*
*Non eſt, quem tepidi uocant Poëtæ:*
*Sed cordis mala, liuor, atq; luxus.*

### Alpinus uultur.

*Altiuolam miluus comitatur degener harpam:*
*Et partem prædæ ſæpe cadentis habet.*

### Parra.

*Impios parræ recinentis omen*
*Ducat, & prægnans canis: aut ab agro*

Raua decurrens lupa Lanuuino,
Fœtaq; uulpes.

### Bubo.

Ignauus bubo, dirum mortalibus omen:
Funereo mœſtos fundit ab ore ſonos.

### Strix.

Quod trepidus bubo, quod ſtrix nocturna querũtur:
Infauſti terris ominis eſſe puta.

*

Sunt auidæ uolucres, non quæ Phineia menſis
Guttura fraudabant: ſed genus inde trahunt.
Grande caput: ſtantes oculi: roſtra apta rapinæ:
Canicies pennis, unguibus hamus ineſt.
Nocte uolant, puerosq; petunt nutricis egentes:
Et uitiant cunis corpora rapta ſuis.
Carpere dicuntur lactentia uiſcera roſtris:
Et plenum poto ſanguine guttur habent.
Eſt illis ſtrigibus nomen: ſed nominis huius
Cauſſa: quòd horrenda ſtridere nocte ſolent.

### Harpyiæ.

Virginei uolucrum uultus: fœdiſſima uentris
Proluuies: uncæq; manus: & pallida ſemper.
Ora fame: magnis quatiunt clangoribus alas:
Diripiuntq; dapes: contactuq; omnia fœdant.
Immundo: tum uox tetrum dira inter odorem.
Triſtius haud illis monſtrum, nec ſæuior ulla.
Peſtis, & ira Deûm Stygijs ſeſe extulit undis.

Vlu-



### Vlula.

Ingenio uelox, oculis inamabilis ales:
Saxa colens ululat ueſpere, nocte uidet.

### Noctua.

Noctis auis, ſeros exercet noctua cantus:
Præſidio Pallas tuta Minerua tuo.

*

Suppoſuit quoniam femur laſciua parenti
Nyctimene: lucem noctua facta fugit.

*

Pellitur alitibus cunctis: & conſcia culpæ
Ingemit: obſcuris in tenebrisq; latet.

*

Conſpectum, lucemq; fugit, tenebrisq; pudorem
Celat: & à cunctis expellitur æthere toto.

*

Noctua Cecropijs inſignia præſtat Athenis:
Inter aues ſani noctua conſilij.

*

Non ſic fallaci piſces captantur ab hamo:
Nyctimene ſicut decipiuntur aues.

### Otus.

Aurita eſt, ſimilesq; gerit tibi noctua plumas:
Auceps ſaltantem mancipat aptus auem.

### Veſpertilio.

Sola auium pario: Soli ubera lacte tumeſcunt:
Aſpera ſunt ſoli dentibus ora mihi.

Luſca

*

*Luſca oculis, ſero uolitans ſub ueſpere, tantum*
*Alas geſtat auis: cætera muris habet.*

*

*Lacte ſuos nutrit pullos: & non parit ouum:*
*Sunt alæ, dentes, labra, pedeſq; duo.*

*

*Aedes, non ſyluas celebrant: lucemq; peroſæ*
*Nocte uolant: ſeroq; tenent à ueſpere nomen.*

Nycticorax.

*Culta fugit, deſerta colit loca: noctis amica,*
*Lucifuga, & celeris nuncia mortis auis.*

Torquilla.

*Iynx amoris, & uoluptatis nota eſt:*
*Quæſita philtris: fortè quòd quóuis agat,*
*Antè, & retrorſus colla in orbem liberè.*
*Sic & uoluptas corda agit mortalium:*
*Mirumq; torquet in modum, quoquò lubet.*

*

*Prima Venus iuueni Pagaſæo donat Iynga:*
*Colchidos hac primus conciliatur amor.*

Coruus.

*Albus erat quondam, uolucris Phœbeïa, coruus:*
*Nunc importunæ præmia uocis habet.*

*

*Lingua fuit damno: quum candidus antè fuiſſes,*
*Corue loquax: ſubitò nigras es uerſus in alas.*

*Sic*



*

*Sic niger in ripis errat quum forte Cayſtri:*
*Inter Ledæos ridetur coruus olores.*

*

*Corue ſalutator, generi das iura rapaci:*
*Tignaq; furcarum ſanguinolenta colis.*

*

*Coruus, olorq; ſimul certent modulamine uocis:*
*Victus erit coruus: uictor honorus olor.*

*

*Coruus in extremis inglorius hæret arenis:*
*Et ſpretum reliquo cum grege nomen habet.*

*

*Qui minor eſt, non maior erit: Deus odit inertes:*
*Qui niger eſt coruus, non erit albus olor.*

Coruus ſyluaticus.

*Syluarum cultor, menſis dat fercula, coruus:*
*Iſtria delicias has ſibi diues habet.*

Coruus aquaticus.

*At tibi, dum lactens hærebit in arbore ficus,*
*De nullo gelidæ fonte bibantur aquæ.*

Cornix.

*Sancta fides, & ſancta meæ concordia genti:*
*Viuo diu, ſectis uix moritura nouem.*

*

*Rex Pylius, magno ſi quicquam credis Homero,*
*Exemplum uitæ fuit à cornice ſecundæ.*

*Tar-*

*

*Tarpeio quondam conſedit culmine cornix:*
*Eſt, benè non potuit dicere: dixit, erit.*

Cornix marina.

*Cornix garritu pluuioſæ nuncia lucis*
*Dicor: & infelix omen habere putor.*

Cornix cœrulea.

*Forma tibi nocuit tua, Lariſſæa coronis:*
*Quæ fueras uirgo regia, nunc auis es.*

Graculus.

*Viuit edax uultur, ducitq; per aëra gyros*
*Miluius: & pluuiæ graculus auctor aquæ.*

Monedula.

*Nigra pedes, nigris uelata monedula pennis,*
*(Arne dicta prius Sythonis) æra rapit.*

Coracias.

*Graculus ore loquax coit, auri ſemper amator:*
*Graculus es, tibi ſed roſtra, pedesq; rubent.*

Pyrrhocorax.

*Saxa pruinoſas habitas inculta per alpes:*
*Seu coruus, ſeu uis graculus eſſe loquax.*

Nucifraga.

*Garrula ſum (nucifrangibulam quam Rhetia dicit)*
*Humanæ ſolers æmula uocis auis.*

Pica.

*Pica loquax certa dominum te uoce ſaluto:*
*Si me non uideas, eſſe negabis auem.*

Pica



Pica uaria.

*Sæpe ſalutatus picæ reſpondet arator:*
*Sic ludit rauci garrula pica fori.*

*

*Improba Cecropias oſtentat pica querelas:*
*Pica ſagax, Baccho ſacra putatur auis.*

Garrulus.

*Extremum ad malum, primo quæ obtundit ab ouo,*
*Vitanda eſt menſæ garrula pica tuæ.*

Picus.

*Martia Picus auis, longis dat uulnera ramis:*
*Et roſtro figit robora denſa ſuo.*

*

*Cum Circe renuit ſociare cubilia Picus:*
*Hunc uolucrem magico carmine ſaga facit.*

*

*Picus equûm domitor, quem capta cupidine coniux*
*Fecit auem Circe, ſparſitq; coloribus alas.*

Picus uiridis.

*Colla uirent, dorſumq; rubet caput: utraq; penna*
*Cærula: luteolo pectora tincta croco.*

Picus niger.

*Cornici ſimilis plumis, & uiribus æquis:*
*Gaudet oliuetis, arboribusq; cauis.*

Picus cinereus.

*Parua quidem, ſed auis ſum callida Sitta, ſapaxq;:*
*Quam metuit magni præpes adunca Iouis.*

Orio-

### Oriolus.

*Cui cibus eſt ceraſus: cui pendet in aëre nidus:*
*Aureus es toto corpore, pice loquax.*

### Iſpida.

*Pulcra tibi facies: pennarum gratia pulcra:*
*Piſciculos gaudens colligis amne cibum.*

### Cœruleus.

*Palladiæ, docilis uolucris, ſacrata* Mineruæ:
*Præ te, cui ſeruit noctua nulla magis.*

*

*Cyane, quis docuit te ſic parére monenti?*
*Pallas an? ut morem ſic homo quiſq; gerat.*

### Merops.

*Terga* Merops *maculis uiridis uariatur amœnis:*
*Inq; cibum muſcas captat, apeſq; ſuum.*

*

*Ne præs eſt, Thales dixit: ſic illita uiſco*
*In laqueos ſociam parra, meropſq; trahit.*

### Vpupa.

*Vpupa ſepticolor, cui ſtant in uertice criſtæ:*
*Stercoribus fœtes ſemper odora tuis.*

*

*Pampineis criſtatus* Epops *ægrotus ab uuis,*
*Munit adianti ſe uirente ramulo.*

*

*Prominet immodicum pro longa cuſpide roſtrum:*
*Nomen* Epops *uolucri: facies armata uidetur.*

Me-



### Merula.

*Exprimit humanos bellè* Merula *æmula cantus:*
*Pectore nigra ſuo: uoce ſuperba ſua.*

### Merula torquata.

*Sola uolat, turbam fugitans* Torquata *uolucrum:*
*Felix, qui ſolus uiuere ſæpe poteſt.*

### Turdus.

*Saltus aprum, campus leporem tibi mittet inemptum:*
*Sylua graues turdos exagitata dabit.*

### Turdus minor.

*Pellaci cantu deceptus ab aucupe turdus:*
*Fercula dat cœnæ luxurioſa tuæ.*

### Turdus maior.

*Fronde meo fruticans celſa de ſtercore uiſcum*
*Me paſcit: procerum mox ego paſco gulam.*

### Turdus Iliacus.

*Tu cantu, tu carne places: aureſq;, gulamq;,*
*Mortuus, & uiuus, uoce, ciboq; beas.*

### Sturnus.

*Sturne peregrinas mendices aridus uuas:*
*Socratici cœna nolumus eſſe tua.*

*

*Sturne loquax nimium, cunctas imitate uolucres:*
*Vno quàm uarios reddis ab ore ſonos.*

*

*Cultorum Bacchi cineres quæ clauſerat: oſſa*
*Diuinæ uolucris nunc capit urna uetus.*

 Pſit-

Pſittacus.

*Pſittacus à uobis aliorum nomina diſcam:*
*Hoc didici per me dicere, Cæſar aue.*

*

*Non eſt in terris uocum ſimulantior ales:*
*Quæ reddit blæſo tàm benè uerba ſono.*

*

*Tu poteras uirides pennis hebetare ſmaragdos:*
*Tincta gerens rubro Punica roſtra croco.*

Apus Indica.

*Aut iacet, aut pendet uolucris per ſumma uolatu,*
*Quæ Paradiſeo nomine fertur, Apus.*

*

*India fert apodes, quas ſolus ſuſtinet aër:*
*Et nullo uideas quas reſidere loco.*

*

*Quam cernis, uolucris Nabathæis uenit ab Indis:*
*A' pedibus, quibus eſt orba, uocatur Apus.*

*

*Ipſe gerit ſimili raras ex alite pennas*
*Thracius in coni uertice Turca ſui.*

Grus.

*Turbabis uerſus: nec littera tota uolabit:*
*Vnam perdideris ſi Palamedis auem.*

*

*Nunquam ſola uolo: lateri ſemper comes aſtat.*
*Aërium quando turba peragrat iter.*

E' Ni-



*

*E' Nilo pygmæa grues poſt bella remenſo,*
*Ore legunt rubri germina cara maris.*

*

*Paruus & eſt cygni melior canor ille: gruum quàm*
*Clamor in ætherijs diſperſus nubibus Auſtri.*

Ciconia.

*Exul ego brumæ, tepidiq; Ciconia ueris*
*Aduena: paſco ſenem grata, feroq; patrem.*

*

*Defeſſum fertur portare Ciconia patrem:*
*Hinc illa pietas ſancta notatur aue.*

*

*Ecce reuecta ſuis roſtrata ciconia uentis,*
*Hoſpitis antiqui culmina nota petit.*

Cygnus.

*Dulcia defecta modulatur carmina lingua:*
*Cantator cygnus funeris ipſe ſui.*

*

*Fata ſibi præſagit olor, lætoq; ſalutat*
*Carmine: mors ſolet haud eſſe moleſta pijs.*

*

*Immoriturus aquis, ad amœni ſtagna Cayſtri:*
*Ipſe ſuum celebrat carmine funus olor.*

*

*Ad uada, miranda dulcedine, pura Cayſtri,*
*Carmen olor moriens exequiale canit.*

 Tem-

*

*Tempora fatalis quoniam ſic limitis, itis:*
*Triſtia concentu funera ſolor, olor.*

*

*Florida dum cantat per rura Cayſtrius ales:*
*Mæandri liquidis accinit alter aquis.*

*

*Signa decent uates illuſtria, laurus, & albus,*
*Carmina qui fati præſcia cantat, olor.*

*

*Hanc uolucrem Phœbo fertur ſacraſſe uetuſtas:*
*Quòd referat cantus, Delphice magne, tuos.*

*

*Paſcitur albenti frugalis uitice cygnus:*
*Qui Venerem ſucci uim reprimentis habet.*

## Pelecanus.

*Cor Pharius roſtro figit Pelecanus acuto:*
*Et ſe pro natis ſic necat ipſe ſuis.*

*

*Sanguine reſtituit pullos Pharetonius ales:*
*Inſigens lateri roſtra recurua ſuo.*

*

*Pro grege, pro ſancta rex fundet lege cruorem:*
*Sic uitam pullis ſanguine reddo meo.*

*

*Rimaris tundendo ſinus tibi pectoris altos:*
*Et uitam ſoboli das Pelecane tuæ.*

San-



*

*Sanguine dat uitam pullis Aegyptius ales:*
*Tu mihi das uitam ſanguine CHRISTE tuo.*

## Ibis.

*Aligeros Ibi colubros auertit ab oris:*
*Tetrior ex ouis, ſed baſiliſcus adeſt.*

*

*Patria fert Nili ſaturam ſerpentibus Ibin:*
*Aluum quæ roſtro proluit ægra ſibi.*

## Gryps.

*Solus aues uincit cunctas gryps naribus uncis:*
*Quem leo, quem tigris, quem pauet acer eques.*

*

*Igne micant oculi: curuatur acumine roſtrum:*
*Sibilat & grandi lingua retorta ſono.*

*

*Fulta toris ceruix, præacutis auribus extat:*
*Fronsq; minax acris ſigna uigoris habet.*

*

*Caucaſeo cryſtalla ferunt de uertice lynces:*
*Gryphes Hyperborei pondera fulua ſoli.*

*

*Quis putes? è puro Gryps nidum conſtruit auro:*
*Occupat & celſæ rupis in arce locum.*

*

*Non equus, aut elephas illi ſe cominus infert:*
*Non draco, non præſtans unguibus ipſe leo.*

 Stru-

## Struthio.

*Africa me genuit: moles cui corporis ingens:*
*Et loca deſerti Struthio uaſta colo.*

## Phœnix.

*Vita mihi mors eſt: morior, ſi cœpero naſci:*
*Sed prius eſt fatum lethi, quàm lucis origo.*

*

*Ipſa ſibi proles, ſuus eſt pater, & ſuus hæres:*
*Nutrix ipſa ſui: ſemper alumna ſibi.*

*

*Quis putet? Aſſyrios renouant incendia nidos:*
*Vna decem quoties ſecula uixit auis.*

*

*Solus in Eois ales reparabilis oris,*
*Igne ſuo uitam dum rapit, igne capit.*

*

*Vnicus Aſſyrijs qui uiuit odoribus ales:*
*Exuuijs iterum naſcitur uſq; ſuis.*

*

*En noua combuſto de uiſcere naſcitur ales:*
*Morte ſua uitæ quæ ſibi cauſſa fuit.*

*

*Si bonus eſt aliquis, uix alite notior illo eſt,*
*Qui moriens ſummi naſcitur igne rogi.*

## Phœnicopterus.

*Dat mihi penna rubens nomen: ſed lingua guloſis*
*Noſtra ſapit: quid ſi garrula lingua foret.*

Pauo.



## Pauo.

*Miraris, quoties gemmantes explicat alas:*
*Et potes hunc ſæuo tradere dure coquo.*

*

*Laudatas oſtendit auis Iunonia pennas:*
*Si tacitus ſpectes, illa recondit opes.*

## Porphyrio.

*Nomen habet magni, uolucris tàm parua, Gigantis:*
*Et nomen Praſini Porphyrionis habet.*

*

*Caſta pudicitiæ uindex, ſi mœcha ſit uxor,*
*Pectore mœſta dolet, præq; dolore perit.*

## Seleucis.

*Sublimem Caſium colit inſatiabilis ales:*
*Sed latet: auxilio quum uenit, illa uenit.*

## Pardalus.

*Tu pennis, pedibusq; uales, maculoſaq; tota es:*
*Pardalis hinc celeris nomen, & omen habes.*

## Taurus.

*Parua quidem, ſed uoce boues imitaris agreſtes:*
*Exigui ſic re magna ſubinde crepant.*

## Capra.

*Pulcra ſatis uolucris, criſtis, pennisq; decora:*
*Dumq; canit, capras æmula uoce refert.*

## Alcedo.

*Alcedo, medio brumæ cum frigore, natas*
*Credit aues pelago, nidificatq; uago.*

*

*Incubat Halcyone pendentibus æquore nidis:*
*Coniugis in dorſo fert pia membra ſenis.*

*

*Ferre ſolet ſenio confectos grata parentes*
*Halcyo, dilectæ Tethyos inter aquas.*

*

*Halcyonum crebri uentoſa per æquora queſtus*
*Ad ſurdas tenui uoce ſonantur aquas.*

*

*Incubat Halcyone mirandis pendula nidis:*
*Et pelago patiens ſtrata fouente parit.*

*

*Tranquilla præbet Halcyoni Deus loca,*
*Inhoſpitales per petras:*
*Cauteſq; uult, ut eximant implumibus*
*Pullis metum periculi.*
*Sic incubat inter horrendos ſcopulos auis:*
*Et oua tuta ſpe fouet.*
*Veram piorum nunquis hac imagine*
*Eccleſiam pingi neget?*

Canaria.

*Plures una ſonos auis hæc, nil paſſere maior,*
*Gramineis herbis æqua colore, dabit.*

Galbula.

*Galbula decipitur calamis, & retibus ales:*
*Turget adhuc uiridi quum rudis uua mero.*

Flo-



Florus.

*Florus equos odit: ſpecies cui pulcra, decenſq;:*
*Aemulus hos terret ſæpe, fugatq; ſono.*

Caſpia.

*Caſpia uerſicolor, freta Caſpia ſeruo: uolanſq;*
*Propter humum, ranæ more, caniſue latro.*

Onocrotalus.

*Voce boat torua, prælargo gutture: roſtrum*
*Inſtar habet naſi, multiforiſq; tubæ.*

Larus.

*Piſce laro ueſcor: larus hinc ego nominor ales:*
*Nomine uis dici cur Paraſite meo?*

Tragopanas.

*Cornua quæ profert, Pani ſit ſacra uolucris:*
*Fronte capro ſimilis, capripediq; Deo.*

Ceruia.

*Penna tibi ſimilis ceruinæ Ceruia pelli*
*Dat nomen: fluuios, & uada ſemper amas.*

Cinnamolgus.

*Pulcra mihi eſt, & odora domus, ſuper arbore celſa:*
*Quam faciunt Arabum cinnama lecta ſolo.*

Chloreus.

*Bella gerit Chloreus cum turture cæca pudico:*
*Occiſo tandem turture uictor abit.*

Celeus.

*Cum Libyo pugnas Celeus, & prælia pernix*
*Edit auis: frutices, & nemus omne colit.*

 Cha-

### Charadrius.

*Me tueare licet, ſi morbus regius urget:*
*Contuitu poteris ſanus abire meo.*

### Ardea.

*Triſte ſonans altam ſupra uolat ardea nubem:*
*Iam tempeſtatis uis metuenda malæ.*

*

*Ardea ſublimem pennis celer æthera tranans:*
*Prædicit querulo pluuiam clamore futuram.*

### Ardea ſtellaris.

*Ignaui ardeolam ſtellarem effingere ſerui,*
*Et ſtudia, & mores, fabula priſca fuit.*

### Falcinellus.

*Quæ falcis ſpeciem roſtris imitatur, & arcus:*
*Ardeolam reliquo corpore nempe refert.*

### Loxias.

*Ingenio ſimplex ales, menſaq́; decorus,*
*Frigus amat: replet cantibus omne nemus.*

### Hirundo.

*Sub tectis hominis, prænuncia ueris, hirundo*
*Nidificans, homini non habet uſq; fidem.*

*

*Vere lares ueteres peregrina reuiſit hirundo;*
*Prima tepeſcentes aduehit illa dies.*

*

*Futilis ut crimen matris depromat hirundo;*
*Sub trabibus cunas, paruaq́; tecta facit.*

In-



*

*Inſidijs caret una hominum, quia mitis hirundo eſt:*
*Quaſq́; colat turres, Chaonis ales habet.*

*

*Sæpe quidem Progne nimium properaſſe quereris;*
*Virq́; tuo Tereus frigore lætus erit.*

*

*Quid matutinos Progne mihi garrula ſomnos*
*Rumpis? & obſtrepero Daulias ore canis?*

*

*Loqui ſi indeſinenter, multaq́;, & uelociter*
*Prudentiam indicaret: utiq; hirundines*
*Fortaſſe, quàm nos ſapere dicantur magis.*

*

*Ver non una dies, non una reducit hirundo:*
*Multiplici uigilans prudentia ſurgit ab uſu.*

### Hirundo domeſtica.

*Nigra uides domini magnas ut diuitis ædes*
*Peruolet, & pennis alta atria luſtret hirundo?*

### Hirundo riparia.

*Quum benè ſint clauſæ cauea Pandione natæ:*
*Nititur in ſyluas quæq; redire ſuas.*

*

*Quæ mare, quæ terram, Pandione nata, ſecaſti:*
*Deligis Aeææ nidificare ſinus?*

Medeæ

*

*Medeæ ſtatua eſt, natos cui credis hirundo:*
*Fer aliò: uiden' hæc mactet ut ipſa ſuos?*

Grillus.

*Grille canens duros in ſomnum ſoluis agreſtes:*
*Me quoq; iam paci conciliare uelis.*

Paſſer.

*Vernat ager, uernant arguto paſſere tecta:*
*Multa Venus uitæ quem facit eſſe breuis.*

Paſſer Troglodytes.

*Prodigus in Venerem, ſepes colit, atq; cauernas:*
*Paſſere ueſcatur, qui cupit eſſe ſalax.*

Paſſer Torquatus.

*Plumea torque cui ceruix præcingitur albo:*
*Torquati paſſer nobile nomen habet.*

Paſſer ſolitarius.

*Sola ſalit tectis, cantuq; domeſtica rura*
*Rumpit auis: fœlix uiuere uita ſibi.*

*

*Iam tremulus multo qui ſedit tempore, paſſer*
*Gaudet delicijs incubuiſſe nouis.*

Paſſer ſtultus.

*Si me conſilio nec homo, nec ſimia uincit:*
*Dic, ſtultus uobis cur ego paſſer ero?*

Paſſer muſcatus.

*Si paſſer uolat Indus, apem, muſcam'ue putabis:*
*Corpore tàm paruus, quàm celer eſt pedibus.*

Pru-



Prunella.

*Aſperius nihil eſt uinclis, & carceris antro:*
*Soluite me miſerum, ſoluite, dulce canam.*

Cinclus.

*Quid ſtrepis, & queſtus quid fundis ſemper inanes?*
*Quam ſimulas, non ſic mitis alauda canit.*

Motacilla.

*Motacilla canens pendentes motitat alas:*
*Præſidio Bacchi tuta, fideq; ſui.*

Linaria.

*Cannabis eſca mihi, milium, linumq;: canora*
*Hinc uox argutos dat ſine felle ſonos.*

Carduelis.

*Per te lætus eram, per te ſum triſtis: utrunq;*
*Ipſa facis uolucris, dum canis, atq; ſiles.*

Fringilla.

*Si matutino fringilla reſultat ab ore:*
*Tempeſtatis erit nuncia certa malæ.*

*

*Frigore tu Fringilla uiges, & frigore cantas:*
*Certior haud Brumæ nuncius eſſe poteſt.*

Acanthis.

*Alcyonen littus reſonat, ſed acanthida dumus:*
*Venturæ memores hæc iubet eſſe niuis.*

Chloris.

*Chloris an eſt Vireo? tepidis qui menſibus aras*
*Viſit: & Arcturi rurſus ſola mutat ab ortu.*

Ci-

## Citrinella.

*Suauibus aërias reſono modulatibus Alpes:*
*Cantibus & ſoli cedo Serine tibi.*

## Auriuittis.

*Aurea uitta caput criſtatum cingit: & una*
*In dumis uictum carpere cura mihi.*

## Curruca.

*Suppoſitos cuculi pullos curruca canora*
*Educat: in fraudem, perniciemq́; ſuam.*

*

*Exiguos curruca lares ad ſaxa reponit:*
*Et cuculi plumis ſubijcit oua ſuis.*

## Cuculus.

*Vere nouo cantat coccyx: quo tempore, uites*
*Qui non abſoluit, iure uocatur iners.*

*

*Ingrato cuculus nutricem deuorat ore:*
*Et miſeræ pietas officioſa nocet.*

*

*Aduena non nidos cuculus, non oua reponit:*
*Degeneres animos arguit ille timor.*

*

*Ille graui ſuperans excluſos corpore fœtus:*
*Congeſtas auido præripit ore dapes.*

## Luſcinia.

*Flet Philomela nefas inceſti Tereos: & quæ*
*Muta puella fuit, garrula fertur auis.*

Parce



*

*Parce queri: uetus eſt iniuria: quam ſoror ulta eſt:*
*Apponens Ityos uiſcera cocta uiro.*

*

*Parua quidem uolucris, uiridi Philomela ſub umbra,*
*Fata iuuentutis luget acerba ſuæ.*

*

*Sola uirum non ulta piè mœſtiſſima mater*
*Concinit Iſmarium Daulias ales Ityn.*

*

*Populea uiden' ut, fati ſecura, ſub umbra,*
*Daulias artifici concinit ore melos.*

*

*Garrula uicinis carmen Philomela ſub umbris*
*Integrat: & ſolito dulcius orſa queri.*

*

*Luſcinia, ueris nuncia,*
*Muteſcit incluſa caueæ.*
*Eſt ſeruitus ſcrinium animi:*
*Linguamq́; uinclo præpedit.*

## Acredula.

*Tu matutinis acredula uocibus inſtas:*
*Et queſtus ſemper, quos mediteris, habes.*

## Regulus.

*Rex auium Trochilus dicor, prudensq́; ſenator:*
*Alite, pro regno, cum Iouis arma gero.*

Pone

*

Pone precor ueteres tandem, Iouis armiger, iras:
Non ego re, ſed ſum nomine rex auium.

Ficedula.

Quum me ficus alat: quum paſcar dulcibus uuis:
Cur potius nomen non dedit uua mihi?

*

In tenui ſpes nulla lucri eſt: unoq; reſidunt
Arbuſto geminæ non benè ficedulæ.

Erithacus.

In modicis nihil eſt quod quis lucretur: & unum
Arbuſtum geminos non alit erithacos.

Parus.

Vere nouo parus canit: at mox deſinit: ales
Paruus: & hinc nomen gaudet habere ſuum.

Rubicilla.

Luſciniæ dulci nihil eſt uocalius ore:
Cuius ab ore meum fingere diſco melos.

Alauda.

Bella gerant uolucres, ad bella ferocia natæ:
Cum placidis auibus laudet alauda Deum.

*

En ſaturata uagos dum ducit in aëre gyros:
Munifico grates cantat alauda Deo.

Caſsita.

Non ego ſum galeæ, nec habendis utilis armis:
Cur igitur caßis nomen inane facit?

Quæ



*

Quæ patris tumulum gerit hîc ubi criſta uidetur:
Admonitrix operum ſæpe fidelis erit.

*

Blanda operũ inſpectrix, ſpacioſa per arua uagatur:
Atq; operis gaudet ruris adeſſe comes.

Coturnix.

In precio ſum nunc: olim damnata coturnix:
Vox nomen, precium dat ſapor ipſe mihi.

*

Ecce coturnices inter fera prælia uiuunt:
Forſitan & fiunt inde frequenter anus.

Ortygometra.

Rauca, coturnicum mater, ceu rana coaxat:
Lauta cibis, procerum ſola petita gulæ.

Crex.

Linguæ crimen habes Crex garrula: nanq; Minerua
Te credit mentes prodere Diua ſuas.

Gallus.

Lucis auis gallus: baſiliſcis, atq; leoni
Terribilis: famulos ad noua penſa uocat.

*

Martis aues, læto uictoribus omine, galli,
Proſpera uocali gutture ſigna dabunt.

*

Cur fugat Herculeum uolucris criſtata leonem:
Indice dum certas concinit ore uices?

L Nocte

*

*Nocte Deæ noctis, criſtatus cæditur ales:*
*Quòd tepidum uigili prouocet ore diem.*

Gallina.

*Ne gallina malum reſponſet dura palato:*
*Doctus eris uiuam miſto merſare falerno.*

Gallina cohortalis.

*Cur non criſtatas, uelut antè, in corte uolucres,*
*Quæris, alam? uulpem tu quia Neſtor alis.*

Gallina altilis.

*Paſcitur & dulci facilis gallina farina:*
*Paſcitur & tenebris: ingenioſa gula eſt.*

Gallina matrix.

*En pullos gallina tegit, ſeruatq; ſub alis:*
*Ne ſurſum rapidæ præda ferantur aui.*

*

*Contegit ut tepidis pullos gallina ſub alis:*
*Mater & aſsidua fida tuetur ope:*
*Sic ſibi fidentem præſenti numine cœtum*
*Et fouet, & duro tempore Chriſtus alit.*

Pulli gallinacei.

*Si Libycæ nobis uolucres, & Phaſidis eſſent,*
*Acciperes: at nunc accipe cortis aues.*

Pumiliones.

*Quodq; ſuos animal pumilos habet: aſpice, parua*
*Delectant ſpecie: cætera nemo probat.*

Capus.



Capus.

*Succumbit ſterili fruſtra gallina marito:*
*Hanc matris Cybeles eſſe decebat auem.*

*

*Ne nimis exhauſto macreſceret inguine gallus:*
*Amiſit teſtes: nunc mihi gallus erit.*

Gallina ruſtica.

*Gallinas dat ſylua feras, & callidus auceps:*
*Ruſtica cors cicures, uillaq; ſola dabit.*

Numidicæ.

*Anſere Romano quamuis ſatur Annibal eſſet:*
*Ipſe ſuas nunquam barbarus edit aues.*

Meleagrides.

*Vos plumoſa nouis plangentes pectora pennis,*
*Oeniden ſubitæ concinuiſtis aues.*

*

*Dum cineres Meleagre tuos ad buſta ſorores*
*Collacrymant: Syrias mox abeunt in aues.*

Gallus Indicus.

*Colla carent pennis, criſta caput: India gallum*
*Me uocat: at pauum cauda ſuperba facit.*

Gallus Medicus.

*Seu Rhodius mauis gallus, ſeu Medicus eſſe:*
*In magno paruum corpore robur habes.*

Gallus montanus.

*Si non aura dedit nomen, nec cauda, nec ætas*
*Longa: mihi gallus maximus, urus erit.*

 Pha-

## Phaſianus.

*Argiua primùm ſum tranſportata carina:*
*Antè mihi notum nil niſi Phaſis erat.*

*

*Phaſiacas rupes, inuiſaq́; littora fugi:*
*Itala, ſed tellus non magis æqua fuit.*

*

*Primus honor uolucri debetur Phaſidis undæ:*
*Nec malè, quum fuerit regius antè puer.*

## Attagenæ.

*Inter ſapores fertur alitum primus*
*Ionicarum guſtus Attagenarum.*

*

*Non Afra auis deſcendat in uentrem meum:*
*Non Attagen Ionicus iucundior.*

## Attagen Alpinus.

*Cedite pictores: natura potentior arte:*
*Pulcrior an oculis iudicer, an'ne gulæ?*

## Numenius.

*Exhibet intorto lunaria cornua roſtro:*
*Non uolat in menſas ruſtica turba tuas.*

## Perdix.

*Propter humum uolitat: ponitq́; in ſepibus oua:*
*Nec facit in ramis, altoq́; cacumine nidos.*

*

*Si timet excelſos, quum ſit leuis illa, uolatus:*
*Palladia caſus ſeruat ab arce memor.*

Per-



## Perdix Græca.

*Lautorum dubijs perdix Sodomitica cœnis*
*Aptior: ægrotis iuſcula ſæpe dedit.*

## Ruſticula.

*Ruſtica ſum perdix: quid refert? ſi ſapor idem eſt:*
*Carior eſt perdix: ſic ſapit illa magis.*

## Ruſticula minor.

*Delicias menſæ dat gallinago ſuperbæ:*
*In ripis, inter gramina, ſæpe latet.*

## Lagopus.

*Si tuus aurita gaudet lagopode uenter,*
*Accipe: non menſæ eſt hæc peregrina meæ.*

## Tarda.

*Inter aues otis longè ſtultiſſima: caſſes*
*Induit, & pedicas immemor ipſa ſibi.*

## Tryngas.

*Stagna colit Tryngas, fluuioſq́;: breueſq́; uolatus,*
*(Vtilis haud alis, ſed pede longa) facit.*

## Columba.

*Felle columba caret: roſtro non lædit: & ungues*
*Poſſidet innocuos: granaq́; pura legit.*
*Eſtq́; frequens ad aquas: pennaq́; per aëra fertur*
*Præpete: pro cantu, uoce querente gemit.*
*Educat alterius pullos: uolitatq́; gregatim:*
*Et ſtudet in tutis nidificare locis.*

 Ter-

*

*Terretur minimo pennæ ſtridore columba:*
*Vnguibus accipiter ſaucia facta tuis.*

*

*Quæ modò pugnarunt, iungunt ſua roſtra columbæ:*
*Quarum blanditias, uerbaq; murmur habet.*

Columbini.

*Ne uioles teneras præduro dente columbas:*
*Tradita ſi Gnidiæ ſunt tibi ſacra Deæ.*

*

*Parce Venus, tua non tanti ſunt numina, nondum*
*Docta nocere: ſacras quod tueantur aues.*

Columba Liuia.

*Liuia ſæpe gulæ non eſt ingrata columba:*
*Quam tibi rure tuo commoda turris alit.*

*

*Aſpicis, ut ueniant ad candida tecta columbæ:*
*Accipiat nullas ſordida turris aues.*

Palumbus torquatus.

*Inguina torquati tardant, hebetantq; palumbi:*
*Non edat hanc uolucrem, qui cupit eſſe ſalax.*

Turtur.

*Mœſta gemit triſtes amiſſi coniugis aras*
*Turtur: & alterius negligit ipſa toros.*

*

*O bona auis, quid mœſta gemis? quid caſta recumbis?*
*Quum nos in Venerem, nequitiamq; trahas.*

*Sic*



*

*Sic Germanus ego Francum te diligo uates:*
*Vt niger à uiridi turtur amatur aue.*

Anſer.

*Hæc ſeruauit auis Tarpei templa Tonantis:*
*Miraris? nondum fecerat illa Deus.*

*

*Nec defenſa iuuant Capitolia, quò minus anſer*
*Det iecur in lances, Inachi lauta tuas.*

Anſer ferus.

*Garrulus argutos inter ſtrepit anſer olores:*
*At ſomni cuſtos eſt uigil, atq; ſagax.*

Vulpanſer.

*Si mores ſpectes, & pectora callida, uulpes:*
*Sin formam, forſan palmipes anſer erit.*

Anas.

*Tota quidem ponatur anas: ſed pectore toto,*
*Et ceruice ſapit: cætera redde coquo.*

Anas altilis.

*Perfida cognato ſe ſanguine polluit ales:*
*Officioſa alijs, exitioſa ſuis.*

Querquedula.

*Pennis haud uelox Querquedula frigore gaudet:*
*Hinc nomen gero: me querquera bruma iuuat.*

Fulica.

*Auctores pluuiæ, tempeſtatumq; ſonantûm:*
*Cum mergis fulicæ Stagna uadoſa colunt.*

 Mer-

## Mergus.

*Longa manet ceruix: longa internodia crurum:*
*Mergitur aßiduis incola mergus aquis.*

*

*Aeſacus* Eperien Tros *deperit, & perit, ales*
*Factus: & in gelido flumine membra lauat.*

*

*Sum, mancoq; tuus, dum uiſunt tecta columbæ*
*Antra feræ, pecudes gramina, mergus aquas.*

## Sirenes.

*Monſtra maris Sirenes erant: quæ uoce canora*
*Quaslibet admiſſas detinuêre rates.*

*

*Abſq; alis uolucres, & cruribus abſq; puellæ:*
*Roſtro abſq; & piſces: quæ tamen ore canunt.*

## Memnonides aues.

*Bella gerunt, roſtriſq;, & aduncis unguibus iras*
*Exercent: alaſq;, aduerſaq; pectora laſſant:*
*Inferiæq; cadunt cineri cognata ſepulto*
*Corpora: ſeq; uiro forti meminêre creatas.*
*Præpetibus ſubitis nomen facit auctor: ab illo*
*Memnonides dictæ: quum Sol duodena peregit*
*Signa: parentali morituræ morte rebellant.*

*

*Quò properas Aurora? mane. ſic Memnonis umbris.*
*Annua ſolenni cæde parentet auis.*





*

*Sic & auis nigri ueniens ad Memnonis umbras,*
*Ore gemit querulo rupibus Eure tuis.*

## Stymphalides aues.

*Arcadiæ uolucres Oeteus, Stymphala colentes,*
*Occidit forti, diripuitq; manu.*

*

*Obſcuraſſe ferunt obductis aëra pinnis,*
*Armis fugatas Herculis, Stymphalides.*

*

*Nullus per urbes errat Arcadias leo:*
*Stymphalis icta eſt: Mænali nulla eſt fera.*

*

*Si cupis Alcidæ cognoſcere facta prioris:*
*Diſce: Libyn domuit: aurea poma tulit.*
*Peltatam Scythico diſcinxit Amazona nodo:*
*Addidit Arcadio terga leonis apro.*
*Aeripedem ſyluis ceruum, Stymphalidas undis*
*Abſtulit: à Stygia cum cane uenit aqua.*
*Fœcundam uetuit reparari mortibus hydram:*
*Heſperias Tuſco lauit in amne boues.*

# IO. PHILIPPO STI-
## BARO IO. IOACHIMI
### F. EQVITI FRANCO.

Scit benè uenator ſaltus uenatibus aptos:
Scit frutices anceps callidus, atq; plagas.
Cœruleus Glaucus, qui lina madentia ducit,
Scit benè, quæ multo piſce natentur aquæ.
Certior at mecum piſcaberis: omnis in uno
Amne tibi piſcis IANE PHILIPPE natat.

NI-



# NICOLAI REVSNERI
## LEORINI SILESII
### P. L.

PISCARIA POETICA.

Delphinus.

*Mulcetur cithara Delphin: mulcetur amore:*
*Teſtes ſtelligeri ſidera clara poli.*

*

*Quis neſcit, uaſtas olim Delphina per undas*
*Leſbida cum ſacro uate tuliſſe lyram?*

*

*Quamuis mutus erat, uoci fauiſſe putatur*
*Piſcis: Arioniæ fabula nota lyræ.*

*

*Agna lupo, mites aquiles ſunt præda columbæ:*
*innocuos delphin uenatur in æquore piſces.*

*

*Perniciem raris delphinus retibus affert:*
*Dum petit optatos uelox in pabula mullos.*

*

*Vndiq; dant ſaltus: multaq; aſpergine rorant:*
*Emerguntq; iterum: redeuntq; ſub æquora rurſus:*
*Inq; chori ludunt ſpeciem: laſciuaq; iactant*
*Corpora: & acceptum patulis mare naribus efflant.*

Cetus.

Cetus.

*Corpora non audent immania tollere cete:*
*Muſculus eſt liquidæ duxq́; comesq́; uiæ.*

Cetus Britannicus.

*Quanto Delphinis balæna Britannica maior:*
*Regnat in æquoreo bellua tanta ſalo.*

Priſtis.

*Frons hominem præfert: in piſcem deſinit aluus:*
*Spumea ſemiſero ſub pectore murmurat unda.*

Phyſalus.

*Sæuus per alta uehitur Oceani freta:*
*Fluctus refundens ore Phyſeter capax.*

Serra.

*Serra ſecat lapides, & ligna: ſed æquore ſerra*
*Quæ uiuit, ſerram dente minace refert.*

Orca.

*Mole ſua grauis, & trux bellua dentibus Orca:*
*Prælia balænis irrequieta facit.*

Thurſio.

*Quem mare dat Siculum: uendit quem Thurius ære:*
*Prandia dat menſæ Thurſio lauta tuæ.*

Phocas.

*Carpe ſoporiferam pinnam, pellemq́; rigentem:*
*Iam dormi: & nuſquam fulmina torta time.*





*

*Per mare Phoca natet: teneant immania cete*
*Aequora: percurrant undas delphines in altum:*
*Polypus ad pelagi uerſetur concaua ſaxa.*

Hippopotamus.

*Turpis init matrem lethato bellua patre:*
*Pinguia quà Nilus fœtifer arua rigat.*

Triton.

*Neptuni tubicen Triton: pars ultima cetum:*
*Aequoreum facies indicat eſſe Deum.*

*

*Semidei ludunt circùm Tritones: & unca*
*Permulcent hilares littora feſta tuba.*

Nereides.

*Pars in mole ſedens, uirides ſiccare capillos:*
*Piſce uehi quædam: facies non omnibus una:*
*Non diuerſa tamen: qualem decet eſſe ſororum.*

Sirenes.

*Sirenes uarios cantus, Acheloia proles,*
*Et ſolitæ miſeros ore ciere modos.*

*

*Illectos nautas dulci modulamine uocis,*
*Mergebant auidæ fluctibus Ionijs.*

Homo marinus.

*Quod mõſtrũ? monachus prior eſt: at epiſcopus alter:*
*Marmoreo piſcis gaudet uterq́; mari.*

Zygæna.

*Terribilis uiſu, crudelis dente Libella:*
*Infauſto nautas omine ſemper adit.*

Xiphias.

*Immanis Xiphias, ictu non mitior enſis:*
*Quaſſatas iactat per freta ſumma rates.*

*

*Viuit atrox Xiphias, ducitq; per æquora ſulcos:*
*Ille tamen curuas mergit in ima rates.*

Thynnus.

*Quum fueram fœtus, primò Cordyla uocabar:*
*Pelamys hinc dictus: mox quoq; Thynnus eram.*

*

*Quod uocis precium? ſiccus petaſunculus, & uas*
*Pelamydum, aut ueteres Afrorũ epimenida bulbi.*

Silurus.

*Appetit omne animal graſſator dente Silurus:*
*Summaq; labentes per freta mergit equos.*

Vmbra.

*Paruus eras Coracine mihi: nunc maior es Vmbra:*
*Maximus inde Latus (mens niſi fallit) eris.*

*

*Sunt udæ cautes, herbis à fronte uirentes:*
*Hîc domus eſt ſargis: hæc ſtatio tutior Vmbris.*

Coracinus.

*Princeps Niliacis raperis Coracine macellis:*
*Pelleæ prior eſt gloria nulla gulæ.*

Latus.



Latus.

*Roma Latum celebrem gignit, Latiumq; beatum:*
*Quam Latus ingreditur, cœna dapalis erit.*

Glaucus.

*Aeſtiuo nunquàm conſpectus ſidere Glaucus,*
*Si mihi det cœnam: tu Coracine uale.*

*

*Hîc mortalis erat, lini moderator, & hami:*
*Hamis, & lino nunc timet ipſe capi.*

*

*Fabula nota mari, ſed non benè nota puellis*
*Dicitur: & teſtes res habet illa Deos.*

Chromis.

*Pella dat, Ambracieq; Chromin: quem tempore meſſis*
*Tu cape: nam pinguis tunc ſatis eſſe ſolet.*

Hippurus.

*Denticem Boces, Hippurum fallit Iulus:*
*Frigora qui Brumæ ſentit iniqua celer.*

Galeus.

*Terra canes, pelaguſq; tenet, cœlumq;: quid ergo?*
*Haud uſquam tutus iam lepus eſſe potes.*

Lepus.

*Adducit uomitum tactu lepus: hanc fuge peſtem:*
*Si neſcis, ſecum dira uenena gerit.*

Carcharias.

*Ingluuiem reples humanis carnibus atram:*
*Cæde mades: Lamias ſic decet eſſe truces.*

Vul.

Vulpecula.

*Inſidiatorem præroſo decipit hamo,*
*Aſtuta uulpes calliditate potens.*

Simia.

*Simius, inſtar auis uolucris, maris accola rubri,*
*Quando natat, pinnas explicat, atq; uolat.*

Bos.

*Incola bos cœni, ſuffocat in æquore nantes,*
*Corporis ingenti bellua mole ſui.*

*

*Biſſenis magnos cubitis porrectus in artus:*
*Dum ſimulat pigrum ſe, necat ore feras.*

Echinus.

*Iſte licet digitos teſtudine pungat acuta:*
*Cortice depoſito, mollis echinus erit.*

Aquila.

*Peſtifer à cauda mucro ſe tendit acuta:*
*Hoc Ithacum narrant occubuiſſe malo.*

Paſtinaca.

*In piſcatorem iacit impenetrabile telum*
*Clam Trygo, cauda quod gerit: ille perit.*

*

*Vulnere ſi triſti radicem punxerit imam:*
*Arboris hinc uiridis defluit omnis honos.*

*

*Hic radio lethifero tacta, ueluti ſidere, Paſtinacæ,*
*Exuitur celſa pirus deciduam luxuriem cœnarum.*

Raia.



Raia.

*Fœtus ager tribulis: raijs mare ſemper abundat:*
*Tetra quidem uiſu bellua, ſed cibus eſt.*

Squatina.

*Non ſatis eſt, noſtri quod mandunt membra guloſi:*
*Et niueum tergit aſpera pellis ebur.*

Aſellus.

*Turpe color turpis fecit mihi nomen aſelli:*
*Si neſcis, pars ſum delicioſa gulæ.*

Salpa.

*Salpa obſcœnus ego dicor: nec decoquor unquàm:*
*Ni ferula cædens, uerbera multa dabis.*

Attilus.

*Fluxa quidem, molliſq; caro, nec grata palatò*
*Eſt mihi: me patrio nutrit in amne Padus.*

Boops.

*Lumina ſiue bouis, ſeu uox mihi nomina fecit:*
*Mercurio piſcis glorior eſſe ſacer.*

Rhombus.

*Quamuis lata gerat patella rhombum:*
*Rhombus latior eſt tamen patella.*

*

*Putet aper, rhombuſq; recens: mala copia quando*
*Sollicitat ſtomachum prauis humoribus ægrum.*

Pagrus.

*Dat rhombum Sinueſſa: Dicarchi littora pagrum:*
*Cui faux dente minax eſt, rutiluma; caput.*

M Den-

Dentex.

*Herculeæ mullum rupes, ſynodontas Amalphis*
*Dat fuluos: Bocis quos leuis eſca capit.*

Draco.

*Sum Draco: de media ſurgunt mihi cornua fronte:*
*Sæpe uides roſtris antra cauata meis.*

Aries.

*Cornu aries pugnax piſces ſpeculatur euntes:*
*Squamigerum perdunt cornua ſæua genus.*

Callionymus.

*Cur terram mauis, quàm cœlum, ſtulte tueri?*
*Si mea ſunt ſemper lumina fixa polo.*

Mæna.

*Candidulus Brumæ ſum tempore: Sole calente,*
*Oſtendam uobis ſquamea terga niger,*

Adonis.

*Proſilit æquoreis undis in littus Adonis:*
*Et ſicca poſitus ſæpe quieſcit humo.*

Admos.

*Admoas capiunt, autumni tempore, naſſa*
*Viminea: cochleæ fraus mihi lenta nocet.*

Apua.

*Orta maris ſpuma Venus eſt: me ſpuma, uel imber*
*Procreat: hinc Veneri ſum quoq; grata Deæ.*

Miluus.

*Lolligo, miluusq; rapax, & mitis hirundo,*
*Ceu uolucres celeres, per freta ſumma uolant.*

Hi-



Hirundo.

*Euolat in naues alis ſublimis hirundo:*
*Dum non uult prædæ piſcibus eſſe, fugit.*

Antacæus.

*Exos Pannonio natat Antacæus in Iſtro:*
*Spuma dat alba necem, quæ dedit antè cibum.*

Sturio.

*Sturio pingueſcit nebuloſi flatibus Auſtri:*
*Antacæe tuæ cauſſa, cibusq; necis.*

Acipenſer.

*Ad Palatinas acipenſem mittite menſas:*
*Ambroſias ornent munera rara dapes.*

*

*Infelix, quòd me menſæ coluêre priores:*
*Nunc felix, quod ſum gratia nulla gulæ.*

Elops.

*Teutonicis precioſus Elops incognitus undis:*
*Fel claros oculos reddit, adepsq; tibi.*

Eſox.

*Tu loricato ſquamoſus pectore Salmo,*
*Opiparæ cœnæ fercula lauta facis.*

*

*Aſpicis, ut tollens imo ſe flumine Salmo,*
*Ardua tranſiliens per iuga uictor eat.*

Erythrinus.

*Si non cæde rubes, qui nos uult morte renaſci,*
*Carne uetat ueſci cur Erythrine tua?*

 Me-

## Melanurus.

*Inſignem caudæ Melanurum nomine nigræ,*
*Tu guſtare (bonus ſi cupis eſſe) caue.*

*

*In fluuijs mugil uerſatur: ſargus in herbis:*
*Polypus in ſcopulis: medijs Melanurus in undis.*

## Orphus.

*Cœna quidem lauta eſt, dapibusq́; inſtructa ſuperbis:*
*Commendat præſens quam cibus Orphe tuus.*

## Lyra.

*Pinniger, argutæq́; lyræ de nomine dictus:*
*More ſuis grunnit: cornua fronte gerit.*

## Nautilus.

*Per freta dum cautus deducor imagine nauis:*
*Aeſonides didicit ducere uela ratis.*

*

*Nautilus eſt rarus, ſub nauis imagine, piſcis:*
*Qui ſecat æquoreas, more triremis, aquas.*

## Echeneis.

*Pellebant uelis: pellebant remige nauem:*
*Ventus erat: cœptas ſum remorata uias.*

*

*In medio ſolers Echeneïda nauita ponto*
*Sæpe ſtupet totis claſsibus eſſe moram.*

*

*Impulſam uentis, & forti remige nauem,*
*Quis Remoram dicat poſſe tenere mari.*

Parua



*

*Parua Echeneis adeſt (mirum) mora puppibus ingens:*
*Actiacas potuit ſiſtere ſola rates.*

## Pompilus.

*Tu comes es ratium, tractiq́; per æquora ſulci:*
*Dum ſequeris ſpumas, Pompile fide, maris.*

## Sardæ.

*Si fugimus ponto: mergis, fulicisq́; marinis:*
*Sin minus: auratis præda parata ſumus.*

## Aſilus.

*Pinnigeros ſtimulis piſces fugat aſper aſilus:*
*Quis putet? in mundo ſic caret hoſte nihil.*

## Scorpius marinus.

*Exagito ſtimulis magnum delphina recuruis:*
*Quem cogo magnas ſcandere ſæpe rates.*

## Lacertus.

*Secta coronabunt rutatos oua lacertos:*
*Et madidum thynni de ſale ſumen erit.*

## Phycis.

*Sola facit nidos, uiridi fœcundior alga*
*Phycis: at heroum uult cumulare dapes.*

## Chalcis.

*Cur ſic hoſpitium mutas, pontoq́; uagaris:*
*Tempeſtas quoties imminet atra mari.*

## Agonus.

*Larius innumeros in gurgite paſcit agonos:*
*Mollis Aquo demptis uiuere neſcit aquis.*

 Halec.

Halec.

*Capparin, & putri cepas alece natantes,*
*Et pulpam dubio de petaſone uoras.*

*

*Carpio Benaci gaudet precioſior undis:*
*Haleceſq; ſuas Scandia diues habet.*

Harengus.

*Aëre non uiuis, ſed aqua: necat aër, at unda*
*Oceani uiuum te ſinit eſſe diu.*

Alauſa.

*Quas ſtridere focis, obſonia plebis, aloſas*
*Cernis: non poſſunt fulgura ferre iouis.*

Thriſſa.

*Quæ curuis habitat ſcopulis, & littora uiſit:*
*Oceano gaudet Thriſſa natare uago.*

Mormylus.

*Mormylus eſt prauus piſcis: non utilis ullo*
*Tempore: littoribus gaudet, ouatq; ſuis.*

Mullus.

*Vix duo ſum pondo: lautæ ſed gloria menſæ:*
*Criſpinus pro me millia multa dedit.*

*

*Spirat in aduecto, ſed iam piger, æquore mullus:*
*Langueſcit, uiuum da mare, fortis erit.*

Cephalus.

*Squameus herboſas Capito interlucet arenas:*
*Et nocuus ſpinis, inſipiduſq; cibo.*

Con-



*

*Conturbat mergus cephalos demerſus in undis*
*Improbus: ingluuiem cupiens explere uoracem.*

Scombrus.

*Sulphureus uideor, liquidis quum cernor in undis:*
*Extra undam apparent ſquamea terga mihi.*

Citharus.

*Terga mihi citharæ fidibus diſtincta relucent:*
*Piſcis & hinc Citharus ſum tibi Phœbe ſacer.*

Cantharus.

*Cur cœno gaudes? contentus coniuge ſola,*
*Purus amor tuus eſt, Canthare, pura fides.*

Aetnæus.

*Me quoq; caſta fides commendat, amorq; pudicus:*
*Coniux unius coniugis eſſe uolo.*

Channa.

*Concipiens ex ſe, gemino fraudata parente,*
*Channa uorax, auido gutture ſemper hiat.*

Heparus.

*Forma dedit nomen iecoris: ſed cætera forſan*
*Pagrus erit: uilis quem tegit alga maris.*

Merula.

*Aequor habet magnum turdos, merulamq; uirentem:*
*Zelotypus facit, hæc ut capiatur, amor.*

Turdus.

*Turde uirens ſquamis paruo ſaxatilis ore:*
*Carne ſapis tenera: dignus honore tuo.*

 Sar-

Sargus.

*Sargus aqua madidus ſimas tractare capellas:*
*Caprinæq́; ſolet pellis odore capi.*

*

*In medijs ſemper ſargus iacet abditus herbis:*
*Et medijs ſemper capitur melanurus in undis.*

*

*Capra refert ſcortum: ſimilis fit Sargus amanti:*
*Qui miſer obſcœno captus amore perit.*

Iulis.

*Pulcrior haud pelago natat, aut generoſior alter*
*Piſcis: Iulæum qui benè nomen habet.*

Dactylus.

*Dactylus illuſtrat radianti lumine pontum:*
*Appoſitus menſæ: lumine menſa nitet.*

Lucerna.

*Eſt Lucerna mihi nomen: quòd lingua relucet:*
*Si noctu uideas, lumina uera putes.*

Rutilus.

*Pinna rubens Rutilo, miniataq́; cauda lacuſtri*
*Dat nomen: uiuax eſt, ſapiduſq́; cibo.*

Pholis.

*Pro ſquamis natura dedit tibi prouida rerum*
*Mucum: quo latitas ſemiſepulta diu.*

Sparus.

*Qui ſuper aurata Sparulus ceruice refulget:*
*Agreſtem ſatiat mollior eſca gulam.*

Sca-



Scarus.

*Hic Scarus, æquoreis qui uenit obeſus ab undis,*
*Viſceribus bonus eſt: cætera uile ſapit.*

*

*Si cibus herba mihi: ſi ſparſi ſanguine nullo*
*Dentes: cur laceras menſa guloſa pium?*

*

*Odi doloſas munerum, & malas artes:*
*Imitantur hamos dona: nanque quis neſcit*
*Auidum uorata decipi ſcarum muſca?*

Perca.

*Nec te delicias menſarum Perca ſilebo:*
*Puniceis nullis par bonitate cibi.*

Perca marina.

*Perca placet, multis cui uenter obeſior ouis:*
*Amne uagans, ſequitur te Melanure ducem.*

Cyprinus.

*Cyprino Cypris nomen dedit aurea: præſtat*
*Danubij capitur qui peregrinus aqua.*

Cyprinus latus.

*Dapſilis exornat Cyprinus prandia menſæ*
*Latus: at in medio pinguis, & aſſus erit.*

Percecus.

*Eupylis exigua ſum Percecus ortus in unda:*
*Meq́; peregrinum Larius inde tulit.*

 Au-

Aurata.

*Non omnis laudem, preciumq́; aurata meretur:*
*Sed cui ſolus erit concha Lutrina cibus.*

*

*Piſciculos aurata rapit medio æquore ſardas:*
*Ni fugiant, maris & littora ſumma petant.*

Thymallus.

*Piſcis idem nomen, qui floris, odorq́; Thymalli:*
*Aureus eſt, auro par, & odore ſapor.*

Trutta.

*Qui Troctam dixit: uoluit ſignare uoracem:*
*Piſciuorax apto nomine Trutta uocor.*

*

*Maiorem Varium Troctam dixêre uetuſti:*
*Quam tibi præpinguem Larius amne fouet.*

Salar.

*Aurea purpureis ſtellatus tergora guttis:*
*Sæpe dabit menſæ prandia rapta Salar.*

Carpio.

*Carpit opes auri, Benaci piſcis alumnus*
*Carpio: ſi gula ſit delicioſa nimis.*

*

*Carpio, quod carpis, nihil eſt precioſius auro:*
*Piſcis honorato nomine rarus eris.*

*

*Quis non aurifero depaſtos gurgite piſces*
*Laudet? Benaci quos aqua ſola uehit,*

Go-



Gobius.

*In Venetis ſint lauta licet conuiuia menſis:*
*Principium cœnæ Gobius eſſe ſolet.*

*

*Ne mullum capias: quum ſit tibi gobio tantum*
*In loculis: frugi fœnerat eſca tibi.*

Fundulus.

*Fundule, uere places, fundo qui nare ſolebas:*
*Si teres, & pinguis, uentreq́; plenus eris.*

Barbus.

*Tu melior peiore places, & amœnior æuo*
*Barbe: uia quando liberiore natas.*

Alburnus.

*Præda frequens Alburnus eris puerilibus hamis:*
*Albula ni potius nomen habere cupis.*

Leuciſcus.

*Prandia leuciſcos captet ſaliaria ſartor:*
*Non benè ſic cœnat luxurioſa gula.*

Naſus.

*Cultibus exiguis, & menſa paupere Naſus,*
*Iſtrinæ gaudet creber alumnus aquæ.*

Acus.

*Piſcis acus fluuialis, acum, tenuemq́; peronam,*
*Et ſcombros cauda uerſicolore refert.*

*

*Roſtra gerens acui, teloq́; ſimillima longo:*
*Dentibus erodit retia piſcis acus.*

Acu-

Aculeatus.

*Præda mei generis ſum,menſæ pauperis eſca:*
*Promicat in dorſo ſpinula longa meo.*

Lucius.

*Non me præda fugit: quia dentibus armor acutis:*
*Sum Lupus,ut perhibent: ſed mihi terga nitent.*

*

*Carpio Benaco,Tyberi lupus: & Pagrus Iſtro:*
*Attilus Eridano gaudet: Salmoq; Moſella.*

Lupus.

*Laneus Euganei lupus excipit ora Timaui:*
*Aequoreo dulces cum ſale paſtus aquas.*

Mugil.

*Dum caput eſt tectum: credo mea membra latére:*
*Per Venerem,prædæ fœmina,uirq; ſumus.*

Muſtela.

*Spumarum indicijs capitur muſtela natantum*
*Lubrica: quæ punctis terga notata gerit.*

Congrus.

*Lubricus,immitisq; ſuæ per uulnera genti,*
*Murænæ formam conger,& anguis habet.*

Triſius.

*Triſius ardenti mihi ſit benè coctus oliuo:*
*Da iecur,& lactes: cætera reddo tibi.*

Muræna.

*Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo:*
*Non ualet exuſtam mergere Sole cutem.*

Te



*

*Te lupus Etruſci delectat uernula Tybris:*
*At mihi murænam Sicelis unda ferat.*

Anguilla.

*Me fortaſſe putas anguem? ſum piſcis obeſus:*
*Toſtaq; poſt tractam gloria prima feror.*

*

*Plurima Vergilijs anguilla orientibus exit:*
*An neſcis,quali ſit capienda dolo?*

*

*Captet ut anguillas piſcator,flumina turbat:*
*Limpida ſi uerrat flumina,caſſus abit.*

*

*Cur anguilla placet,longæ cognata colubræ?*
*Quam limus,putris quam parit alga lacus.*

Sphyræna.

*Lubrica terga gerit Sudis,inſtar textilis anguis:*
*Plus congris,aruo piſcis obeſus,alit.*

Cordyla.

*Sit uetus,& tenui maior Cordyla lacerto:*
*Sed quæ cum rutæ frondibus oua tegat.*

Phoxinus.

*Vix natus,teneris grauidus ſum Phoxinus ouis:*
*Turba frequens nomen gaudet habere meum.*

Tinca.

*Tinca uocor: quare? maculoſum reſpice tergum:*
*Allia da,lardum,dum coquor,atq; piper.*

Quis

*

*Quis non & uirides, uulgi ſolatia, tincas*
*Nouit? & alburnos, prædam puerilibus hamis?*

Aper.

*Apriculum piſcem ſcito primum eſſe Tarenti:*
*Cernere quem, diues ſit niſi, nemo poteſt.*

Anthia.

*Dente caret roſtrum. quid tum? ſi decipit hamus:*
*Præſecet hunc dentis, ſpina cruenta, loco.*

Tænia.

*Grata gulæ, Pharij genialis alumna Canopi:*
*Mollis, ſed flammæ tænia more rubet.*

Liparis.

*Pingue merum, nimiumq; potens, in tædia uerti*
*Sæpe ſolet: nomen res facit illa mihi.*

Lepras.

*Multigenis uariata Lepras gero terga figuris:*
*Lepra dedit nomen cui maculoſa ſuum.*

Nouacula.

*Quòd cultellatum gerit hirta nouacula dorſum:*
*Conueniens Melite nomen alumna dedit.*

Faber.

*Antè Ioui, nunc Chriſte tibi ſacer eſſe, Petroq;*
*Gaudeo: uectigal ſoluere iuſſa, dedi.*

Aſtacus.

*Immodici tibi flaua tegunt Chryſendeta mulli:*
*Concolor in noſtra Gammare lance rubes.*

Can-



Cancer.

*Quos tibi donamus, fluuiales accipe cancros:*
*Munera conueniunt moribus iſta tuis.*

*

*Detrahit auerſus ſquallentia tergora cancer:*
*Aetatis uitium detrahit ille ſuæ.*

*

*Octonis pedibus, rubente teſta:*
*Binis bracchiolis, minacibusq;:*
*Cancri forcipibus caput minutum*
*Dentatis benè muniunt, fouentq;.*

*

*Turba eſt maſcula grandiore chela:*
*Contrà fœmina grandiore cauda.*
*Illa nobilis arctiore chela:*
*Ille nobilis arctiore cauda.*

Cancer Pagurus.

*Vere nouis renouant cancri ſua tergora cruſtis:*
*Exuuijs poſitis læta iuuenta redit.*

Scorpius.

*Concaua littorei ſi condas bracchia cancri,*
*Naſcetur cauda ſcorpius inde minax.*

*

*Scorpius exiſti, cancer: minitareq; cauda:*
*Te mihi quis terra condidit abſq; manu.*

Con-

## Concha.

*Læuis ab æquorea cortex Mareotica concha*
*Fiat: inoffenſa curret arundo uia.*

*

*Indus ebur: ramos Panchaia: uellera Seres:*
*Sed conchas uobis æquora rubra dabunt.*

*

*Littore quot conchæ: tot ſunt in amore dolores:*
*Quæ patimur, multo ſpicula felle madent.*

## Conchylion.

*Eruta Lucrinis uendunt conchylia cœnas*
*Littoribus: renouant per ſua damna famem.*

*

*Non me Lucrina iuuerint conchylia:*
*Magiſúe rhombus, aut ſcari.*

## Peloris.

*Tu Lucrina uoras: me paſcit aquoſa Peloris:*
*Non minus ingenua eſt & mihi Marce gula.*

*

*Plebs fatuam ſumma cœnare pelorida menſa*
*Fortè uolet: nobis concha Lucrina ſapit.*

## Oſtrea.

*Ebria Baiano ueni modò concha Lucrino:*
*Nobile nunc ſitio luxurioſa garum.*

## Squillæ.

*Cæruleus nos Lyris amat: quem ſylua Marice*
*Protegit: hinc ſquillæ maxima turba ſumus.*

Co-



## Cochlea.

*Terrigenam cochleam, domiportam, ſanguine caſſam*
*Aſpice: cui, ſua quæ ſit, domus una placet.*

*

*Contrahit, exertatq́; breui cornicula fronte:*
*Ingreditur nuda, contegiturq́; domo.*

*

*Quaſi quum caletur, cochleæ in occulto latent:*
*Suo ſibi ſucco uiuunt, ros ſi non cadit.*

## Limax.

*Implicitus conchæ, frondes erodit, & herbas*
*Limax: Herculeo ſit medicina malo.*

*

*Exoßis, pedibus caſſus, non horreo ſpinis:*
*Proq́; oculis implent cornua bina uicem.*

## Murex.

*Sanguine de noſtro tinctas ingrate lacernas*
*Induis: & non eſt hoc ſatis, eſca ſumus.*

## Purpura.

*Inſidijs capior primi ſub tempora ueris:*
*Gutture dum gratos ſedula fingo lares.*

*

*Indiga cœrulei maneo ſine fluminis uſu:*
*Et fero multa famis tædia, multa ſitis.*

*

*Vitam nigranti fundo cum ſanguine capta:*
*Et niueum uellus tingo cruore meo.*

N Spon-

## Spongia

*Incrementa mihi, & ſenſum natura parauit:*
*Nam paruas conchas, piſciculosq; uoro.*

## Torpedo.

*Angele, quis credat? fœda torpedine tacta*
*Contractas perhibent obriguiſſe manus.*

*

*Sæpe malum expertus, tacta torpedine conto eſt*
*Piſcator: rigidam dum trahit ille manum.*

## Polypus.

*Mens tibi ſit* Polypi *uafri: qui protinus illa,*
*Se quibus admôrit, ſaxa colore refert.*

*

*Paciferam* Polypus *cupidè corrodit oliuam:*
*Atq; pedes brumæ tempore ſegnis erit.*

## Locuſta.

*Horret apex capitis: medio fera lumina ſurgunt*
*Vertice: cognatus dorſo dureſcit amictus.*

*

*Formidat tantum polypum miſeranda locuſta:*
*Aſpectu polypi læſa repentè cadit.*

## Lolligo.

*Effugit horrendos piſces, hominemq; fugacem*
*Lolligo: ponto proſilit, alta uolat.*

## Sepia.

*Sepia ſola nigrum uaneſcens nouit, & album:*
*Atrum quæ niueo corpore uirus habet.*

Atrum



*

*Atrum purpureo pro ſanguine fundo liquorem:*
*Deuoror, & noſtro ſanguine carta madet.*

*

*Obſcuri latices me condunt: cernere tectam*
*Atramenta uetant: abdita, tuta nato.*

*

*Dum me uenatur, ſequitur piſcator auarus:*
*Decipio effuſo prompta liquore manus.*

## Stella.

*Sum ſtellæ ſimilis, candenti feruidus igne:*
*Vruntur callis omnia tacta meis.*

## Vrtica.

*Poſtquàm piſciculos paſſa ſub fronde recepit:*
*Corrugat frondes, piſciculosq; uorat.*

## Scolopendra.

*Tu Scolopendra noces tactu, non ore maligno:*
*Diſrumpit callum ſpurca ſaliua tuum.*

## Glavcvs Piscator.

*Non tot habent ſyluæ frondes, tot littus arenas:*
*Quot uaria in tenero marmore monſtra natant.*

*

*Et quaſcunq; feras antris, & montibus altis*
*Terra alit: has uaſto gurgite pontus habet.*

*

*Hi iaculo piſces: illi capiuntur ab hamis:*
*Hos caua contento retia fune trahunt.*

# GEORGIO SEBASTIA-
## NO STIBARO IO. IOA-
### CHIMI F. EQ. FRANCO.

Obſcuris ſyluis, inter ſpelæa ferarum,
Serpentum fœtus, reptiliumq; latent.
Inde libro titulus: tibi quem do SEBASTE GEORGI:
Sunt bona mixta malis, & mala mixta bonis.
Quod nocet, hoc prodeſt rurſus: natura, Deusq;
Quod facit omniparens, quis uetat eſſe bonum?

NI-



# NICOLAI REVSNERI
## LEORINI SILESII
### P. L.

### SPELÆVM POETICVM.

### Serpens.

*Serpentes, lepores, urſos, aquilasq;, canesq;*
*Terra ſimul, ſimul & pontus, & æther habet.*

*

*Crudeles Diui, ſerpens nouus exuit annos:*
*Formæ non ullam fata dedêre moram.*

*

*Ipſe uetuſtatem cum pellibus exuit anguis:*
*Inficit & uultus flore uirente ſuos.*

*

*En nouus exuuijs ſerpens reuireſcit ademptis:*
*Atq; graui reficit ſegnia membra ſitu.*

*

*Anguibus exuitur tenui cum pelle uetuſtas:*
*Nec faciunt ceruos cornua iacta ſenes.*

*

*Sæpe latet uiridi ſub gramine concolor anguis:*
*Et collecta graui fauce uenena iacit.*

### Coluber.

*Cinyphias coluber nemorum colo lubricus umbras:*
*Triſteq;, quando bibo, uirus ab ore uomo.*

 Hy-

### Hydrus.

*Stagna colit: ripisq; habitans hic piſcibus atram*
*Improbus ingluuiem, raniſq; loquacibus explet.*

*

*Paruus erat, manibuſq; duos Tyrinthius angues*
*Preßit: & in cunis iam Ioue dignus erat.*

*

*Fertur adhuc infans eliſos faucibus hydros*
*Alcides nuda dilaceraſſe manu.*

### Vipera.

*Dum coit, emoriens infauſto uipera partu:*
*Dente caput reſecat coniugis ipſa ſui.*

*

*Quum ruit in Venerem, blanditur Echidna marito:*
*Mox ſatura inſertum præſecat ore caput.*

*

*Parua necat morſu ſpacioſum uipera taurum:*
*A' cane non magno ſæpe tenetur aper.*

### Ceraſtes.

*Cornua prætendens immania fronte Ceraſtes:*
*Dum torquet ſpinam, ſibilat ecce uagus.*

### Cenchrus.

*Pluribus ille notis uariatam pingitur aluum:*
*Quàm paruis tinctus maculis Thebanus Ophites.*

### Dryinus.

*Ille cauas habitat quercus: quem dente momordit*
*Lethifero, capræ balat, ouiſq; modo.*

Diſce



*

*Diſce & odoratam ſtabulis accendere cedrum:*
*Galbaneoq; graues agitare nidore chelydros.*

### Cæcilia.

*Exuuias ſparſis Scytale propè ſola pruinis*
*Ponit: & eſt uarijs tergore ſparſa notis.*

### Hæmorrhois.

*Squamiferos ingens hæmorrhois explicat orbes:*
*Læſerit hæc, toto corpore ſanguis abit.*

### Sepedon.

*Grande caput: breuior, dum currit, cauda uidetur*
*Sepedonis: tabem morſibus ille facit.*

### Iaculus.

*Mißilibus iaculus tormentis, obuia quæque*
*Sublimis, iaculi more uolucris, adit.*

### Dipſas.

*Imbibit humorem lethali noxia morſu*
*Dipſas: & in uenas frigida uirus agit.*

*

*Reſpicit auerſo maculoſum lumine tergum:*
*Et ſicco Dipſas uirus in ore gerit.*

*

*Vt ſitis hanc torquens nullis extinguitur undis:*
*Sic rabidam morſu concitat illa ſitim.*

*

*Tu colis immundas, triſtis uelut hydra, paludes:*
*Aut qualis medio dipſas in amne ſitit.*

 Aſpis.

## Aſpis.

*Non prius è fouea, uiſu truculentior aſpis*
*Exit: quàm comitem ſenſerit eſſe ſibi.*

*

*Brachia ſi fuerint ſacris admorſa colubris:*
*Iam trahit occultum membra ſoporis iter.*

## Amphiſibæna.

*Quæ grauis in geminum ſurgit caput amphiſibæna:*
*Lethifero quoties ſibilat ore, necat.*

*

*Quem coràm uultum cernis proferre ſerenum:*
*Clàm te fortaßis lædit hic, atq; nocet.*

## Draco.

*Sibilat hic, quoties aliquos parat edere queſtus:*
*Vulnere nec lædit: nec fugit ille uiros.*

*

*Peruigil ecce draco ſquamis crepitantibus horrens*
*Sibilat: & torto pectore uerrit humum.*

*

*Squamigerum pauit Babylonia turba draconem:*
*Et ſibi præſentem credidit eſſe Deum.*

## Baſiliſcus.

*Natus in ardenti Libyæ Baſiliſcus arena:*
*Vulnerat aſpectu, luminibusq; necat.*

*

*Antè uenena uomens, latè ſibi ſubmouet omne*
*Vulgus: & in uacua regnat baſiliſcus arenæ.*

Hy-



## Hydra.

*Fœcundam uetuit reparari mortibus hydram*
*Monſtrorum domitor, qui Ioue natus erat.*

*

*Hydra redundabat fœcundo uulnere ſerpens*
*Fertilis, & damnis ditior ipſa ſuis.*

*

*Cum leone, cum excetra, cũ ceruo, cum apro Aetolio,*
*Cũ auib. Stymphalicis, cũ Antæo deluctari mauelim:*
*Quàm cum amore improbo, & muliere cum mala.*

## Chimæra.

*Prima leo, poſtrema draco, media ipſa Chimæra:*
*Terribili flammas euomit ore feras.*

## Sphynx.

*Quod monſtrũ? Sphynx eſt: quæ cãdida uirginis ora:*
*Quæ uolucrum pennas, crura leonis habet.*

*

*Qui bipes, & quadrupes foret, & tripes omnia ſolus:*
*Terruit Aoniam uolucris, leo, uirgo triformis*
*Sphynx: uolucris pennis: pedibus feræ: fronte puella.*

## Chamæleon.

*Semper hiat, ſemper tenuem, qua ueſcitur, auram*
*Reciprocat Chamæleon:*
*Et mutat faciem, uarios ſumendo colores:*
*Præter rubrum, uel candidum.*

 Sala-

Salamandra.

*Imbrifer autumnus uitales addidit auras:*
*Temperies fecit te Salamandra mori.*

*

*Igne, licet calido, uiuit Salamandra peruſta:*
*Tàm gelidum picto corpore uirus alit.*

*

*Eruitur longis inſigne receßibus aurum:*
*Aeriferis latitat ſi Salamandra locis.*

*

*Vrſus atrox, aquilæq; leues, & tortilis anguis,*
*Ceſſerunt flammæ iam Salamandra tuæ.*

Crocodilus.

*Fallax, ſed timidus, parat improbus ore cruento*
*Perdere te: lacrymas dum Crocodilus agit.*

*

*Quò ſacer excurret Nilus in arua*
*Præſcius: alluuie libera ponit*
*Oua: monens meritò nos Crocodilus,*
*Quæ fata immineant, antè uidere.*

*

*Ille auidus mellis, per ſyluas prædo ſilentes,*
*Regna laborantum dum populatur apum:*
*Ociaq; æſtiua captans ſaturatus in umbra:*
*Ingeſtos amplo ruminat ore fauos.*
*Ecce luto inuoluens tergumq;, caputq; puſillus*
*Vim pœna Ichneutes uindicis arte parat.*

Atq;



*Atq; ita lorica ueluti munitus, in ipſa*
*inuolat excluſo deſidis ora metu:*
*Admiſſusq; imi corrodens ilia uentris:*
*Sæpè etiam rupto corpore, uictor abit.*
*Præſidium hoc miſero donarunt numina ruri:*
*Prædonem ingentem beſtia parua necat.*

Scincus.

*Mella legit furtim Scincus: pellitq; uenenum;*
*Pabula dat Veneri luxurioſa ſalax.*

Stellio.

*Sæpe fauos atris guttis ſtellatus adedit*
*Stellio: qui latebras, & caua buſta colit.*

*

*Concipit os maculas pueri: fit beſtia corpus:*
*A' ſtellis uarijs ſtellio nomen habet.*

Lacertus.

*Exul auis brumæ, ſerpente ciconia pullos*
*Nutrit, & inuenta per deuia rura lacerta.*

Lacertus uiridis.

*Occultant uiridem rubus, & ſpineta lacertam;*
*Odit ſerpentes hæc, hominesq; colit.*

Lacerta Chalcidica.

*Aëris habet Chalcis ſquallentia terga colore:*
*Pota mero morſus ſanat olente ſuos.*

Rana.

*Spontè coaxantes nocturno tempore ranæ,*
*Dum matutinus ſurgit Apollo, ſilent.*

Nare

*

Nare lacu ranas: ſyluis errare leones:
Ima ualle truces ire uidemus apris.

*

Cernitis enectas hyberno ſidere ranas:
Mortua nunc uerno corpora Sole leuant.

*

Vox mihi rauca aures radit: ſum garrula lingua:
Vlua ſub ſterili mollia regna colo.

Rana fluuiatilis.

Colla tument: albet uenter: uox rauca coaxat:
Terga caput tangunt lubrica: ſpina uiret.

*

Dum caro deformis: poteras dixiſſe Gyrinum:
Mox formata magis garrula rana uocor.

Rana calamites.

Quæ colit herboſos hortos, calamosq́; paluſtres:
Regales onerat ranula ſæpe dapes.

Rana piſcatrix.

An Laurentino turpes in littore ranas:
Et ſatius tenues ducere credis acos?

Bufo.

Gignit anas, putrida tellure ſepulta, rubetas:
Quum perit in terra, qui prius ignis erat.

Phalangium.

Vipera non morſu, non dira phalangia, non trux
Scorpius, in luco lædit Apollo tuo.





# INSECTA, ET VERMES.

Apis.

Rure leuis uerno flores apis ingerit alueo:
Compleat ut dulci ſedula melle fauos.

*

Mater mellis apis, ueris prænuncia, floris
Roſciduli lectrix flaua, laboris amans.

*

Labore apis res efficit
Miraculoſa maximas:
Et ſigna prouidentiæ
Dei exhibet mortalibus:
Centro, pietate, uiribus,
Operoſa, caſta, ſedula,
Coërcet, odit, corrigit,
Furtum, libidinem, ocium.
Regi fidelis obſequi:
Seruire & optimatibus:
Iniuncta alacris perficit
Omni abſq; lite munera.
Nullo loco, nullo datum
Opus remittit tempore:
Anus fouet: paruas alit:
Suas & æquales iuuat.

Nec utilis ſoli ſibi
Eſt, aut ſuis Quiritibus:
Eius fruuntur dulcibus
Homines, Dij laboribus.

*

Quot lepores in Atho: tot apes paſcuntur in Hybla:
Cærula tot baccas Palladis arbor habet.

*

Melliferæ ſtipantur apes præſepia circum:
Et tenet affixos Sicelis Hybla fauos.

*

Non dulcem è quouis apis ingenioſa liquorem
Flore: ſed è lecto germine, mella legit.

*

Floriferis ut apes in ſaltibus omnia libant:
Omnia ſic itidem depaſcimur aurea dicta:
Aurea, perpetua quondam digniſſima uita.

*

Ecce nouæ coëunt uolucres tinnitibus actæ:
Quoſq; mouent ſonitus æra, ſequuntur apes.

*

Melle gerunt perfuſa, gerunt perfuſa ueneno,
Et ſua ſpicula apes, & ſua ſpicula amor.

Fucus.

Ignauum fucos pecus à præſepibus arcet,
Purpurei dulcis nuncia ueris, apis.





*

Texta uolant circum ſegnes aluearia fuci:
Vt uigilum cellas depopulentur apum.

Veſpa.

Stridula dulciſonam contriſtat ueſpa cicadam:
Venatur muſcas ueſpere ueſpa cibum.

*

Non niſi læta pigræ rodunt frumenta cicadæ:
Inuolat in nitidas ſordida ueſpa roſas.

*

Addita ſunt etiam paruis ſua ſpicula ueſpis:
Et ſua formicas ira iuuare ſolet.

Crabro.

Preſſus humo, bellator equus, crabronis origo eſt:
Examen putri de boue feruet apum.

*

Non quia deponunt mellacea ſputa crabrones:
Nobilium titulo condecorantur apum.

*

Millia crabronum coëunt: & uertice nudo
Spicula defigunt: oraq; prima notant.

Aſilus.

Dum uolat, elatæ telas diſrumpit arachnes
Oeſtron: & impauidè mollia penſa terit.

*

Pungit equos æſtu preſſos: cui nomen aſilo
Romanum eſt: œſtren Graij uertêre uocant es.

*

*Icario non tot uolitant ſub ſidere muſcæ:*
*Querculus Alburni ſæpe quot oeſtra uolant.*

Scarabæus Lucanicus.

*Bella gerit Scarabæus: & hoſtem prouocat ultrò:*
*Conſilio ſuperat, uiribus ipſe minor.*

Scarabæus pilularius.

*Quem ſpectas olido ſcarabæum ſtercore condi:*
*Non metuit ſummo bella parare Ioui.*

*

*En ut acerbiſonis Scarabæus ſtrideat alis:*
*Et petit in fœdo ſordida tecta fimo.*

Cantharis.

*Cantharidum ſuccos, urentes corpora, magni*
*Aeacidæ bibit, dante parente, nepos.*

Bupreſtis.

*Paſcentem fallit taurum Bupreſtis in herbis*
*Noxia: paſtores credite, uirus habet.*

Papilio.

*Agreſtes tineæ (res obſeruata colonis)*
*Ferali mutant cum papilione figuram.*

*

*Papilio cultis uolitans olus inficit hortis*
*Sordidus: immundis editus à tineis.*

Mordella.

*Quid teneras Mordella manus ſic improba pungis?*
*Per ſe fit pueris puſtula rupta grauis.*

Mu-



Muſca.

*Sæpe fariſſatus muſcarum ſpicula miles*
*Deuouet: & grandem ueſpa fatigat equum.*

*

*Tela capit tenuem macilento corpore muſcam:*
*Nec fugit arguta retia ducta manu.*

*

*Spicula muſcarum contemnit flammiger ales:*
*Magnanimus mures & leo ridiculos.*

*

*Exſorbet ſaniem hulcerum atra muſca:*
*Mel dulce haurit apis thymo ex amaro.*
*Doctos ingenuus decere candor:*
*Obtrectatio liuidos putatur.*

*

*Languida quid fragilem tu muſca proboſcida figis?*
*Hîc ubi tàm multus nil elephantus agit.*

*

*Guſtatrix iacet hîc lautorum muſca ciborum:*
*Et conuiua frequens Cæſaris in tabula.*
*Non auis hanc roſtro, ſtimulis nec aranea læſit:*
*Cretica ſed guſtans pocula, pota cadit.*
*Non opus eſt luctu: quis enim tàm nobile fatum*
*Lugeat? eſt auro condita, merſa mero.*

Cicindela.

*Lucentem ſi fortè uides lampyrida nocte:*
*Collige maturis hordea meſſe comis.*

O Splen-

*

*Splendidulis iam nocte uolant lampyrides alis:*
*Iam ſpicata Ceres:iam cogitat hordea meſſor.*

Pyrallis.

*Viue tibi,quantumq́; potes,prælustria uita:*
*Splendida dum quæro:me fera flamma rapit.*

*

*En ut igneum facis coruſcæ lumen*
*Inſilit culex proteruus,ac necat ſe.*
*Haud ſecus ſuos amans miſellus ignes*
*Perſequens,crucem inuenit,ſuumq́; fumus.*

Culex.

*Parue culex,pecudum cuſtos tibi tale merenti*
*Funeris officium,uitæ pro munere reddo.*

*

*In reliquis fraudem,atq; aſtum cauſabere:nemo*
*De culicis poterit uulnere ritè queri.*

*

*Squallentem culices infeſtant gutture concham:*
*Concha ſed obducto ſub lare tuta iacet.*

*

*Auertens ſomnos,& pungens membra tenella,*
*Pauperiora culex tecta rotundus habet.*

Cicada.

*Paſcor rore leui: facio conuicia Soli:*
*Lætifico cantu rura cicada meo.*





*

*Libat rauca roſas cicada hiantes:*
*Clauſas præterit,uſui futuras:*
*Præſenti fruitur,ſuo beatus:*
*Et fatis melioribus parat ſe.*

*

*Indignans oneri ſurſum mox palma reſiſtit:*
*Pluſq́; graui ſtridet preſſa cicada ſono.*

*

*Si ſtrepitus edunt uiridi ſub fronde cicadæ:*
*Tunc facit alternos rauca cicada ſonos.*

*

*Formicæ grata eſt formica,cicada cicadæ:*
*Et doctis doctus gaudet Apollo choris.*

*

*Non,quia ſub ſacro reſonant Helicone cicadæ,*
*Inter aues nomen,quo celebrentur,habent.*

Locuſta.

*Terrigena,exanguis,uolucriſq́;,loquaxq́; locuſta:*
*Triſtificat paſtu ruſtica corda ſuo.*

*

*Mittit ab irriguo Phyllis tibi rure locuſtas*
*Ruſtica: ſed Clario Phyllis amica choro.*

*

*Zaccharides,miſero dum Chriſtum nunciat orbi,*
*Carne locuſtarum paſcitur,atq; fauis.*

## Formica.

Quæſiti formica tenax, patiensq́; laborum,
Exemplo frugi nos monet eſſe ſuo.

*

Aſpicis attritum formicarum grege ſaxum:
Dum per idem greſſus ſæpe frequentat iter.

*

Paruula (nam exemplo eſt) magni formica laboris
Ore trahit, quodcunq; poteſt: atq; addit aceruo,
Quem ſtruit: haud ignara, ac non incauta futuri.

*

Itq́;, reditq́; frequens longum formica per agmen:
Granifero ſolitum dum uelit ore cibum.

*

Horrea formicæ tendunt ad inania nunquàm:
Nullus ad amiſſas ibit amicus opes.

*

Formica parua induſtriæ
Exemplar haud ignobilis:
Gaudere monſtrat aſperis
Ipſum Deum laboribus.
Terens frequentem ſemitam,
Frumenti aceruos extruit:
Tenuia ſaxis imprimens
Horrentibus ueſtigia.
Per integros feruens dies:
Vrgere pertinax onus:





Inuicta duris cedere:
Noctes ſerenas adijcit.
At impedita ab imbribus,
Curat domi, uallum ſtruit:
Oraſq́; rodens ſtirpium,
Spem meßis aufert noxiæ.
Sibi laborans, & ſuis
Parcens auara paruulis:
Matrem bonam, atq; heram domus
Vigili inſtruit ſolertia.

## Bombyx.

Inuoluor Bombyx opere: infelixq́; morando
Commorior: ſobolem ſemine linquo mihi.

*

Non folijs alitur, nec fotu: ſed ſine cura
Tàm leue ſic bombyx pendulus urget opus.

*

Spontè uomunt celſa dominis ſuper arbore molles
Serica uermiculi: creſcere cuncta putes.

## Solpuga.

Quis calcare tuas metuat Solifuga latebras?
Quum formica uelis eſſe, uenena geris.

## Araneus.

Argutam texit ſublimis aranea telam:
Et leue deſerta ſub trabe nectit opus.

*

Vſus abeſt manuum? ducens pede ſtamina texo:
Aluus lanigera fertilitate ſcatet.

*

Quum, pedicas muſcis, ſcutulatum rete faceſſo:
Concedunt tramis ſerica fila meis.

*

Ecce breuis tenues emittit aranea telas:
Ipſa ſuo pariter pondere, & uſa manu.

*

Aëre quid caſſes ſuſpendes aranea pendens?
Laniuomo ore trahens ſedula litis opus.

*

Laboris auctorem, Deum
Illa artifex aranea,
Suis tenellis caßibus
Probat: tenebras ad nigras,
Seu ſolis ad facem aurei,
Quum de feneſtra, uel trabe
Operoſa nectit retia.
Nil retia illa, nil labor
Prodeſt, nec ipſi, aut alteri.
Laboris eſt auctor Deus:
Hanc ante nobis lumina
Domi locans imaginem,
Noſtri admonet nos muneris.

Ti-



## Tipula.

Omnes ſunt lenæ, leui fide: neq; leuius tipulæ
Pondus eſt, quàm fides lenonia.

## Gryllus.

Peſtis agri, Gryllus: terram ſine fine terebrat:
Progrediens retrò, nocte ſilente canit.

## Cimex.

Peius olet cimex turpis: loca fœdat, & artus:
Cui nihil eſt ſalſi, cui nihil eſt lepidi.

## Pulex.

Parue pulex, audes latebras errare per omnes:
Quas nec adire uiris fas, nec adire Dijs.

*

Ipſe pulex fueram: pungentem læſa Dione
Extinxit: laus eſt ſic potuiſſe mori.

*

En quia ſanguineos abſorbuit ore liquores:
Tritus ab exili concidit ungue pulex.

*

Tu laceras corpus tenerum durißime morſu:
Cuius quum fuerit plena cruore cutis:
Emittis maculas nigro de corpore fuſcas:
Læuia membra quibus commaculata rigent.

## Pediculus.

Quid ſcabis pedicoſe caput? porrigine nutris
Tu meliùs lendes, multipedesq; tua.

 Rici-

### Ricinus.

*Lanigeras ricinus oues exulcerat atrox:*
*Infeſtatq́; canes acriùs, atq; boues.*

### Acarus.

*Quæ prurire manus facit uda teredo, cutimq́;:*
*Sic latet, ut cerni uix queat, atq; capi.*

### Lytta.

*Ne canibus ueniat rabies, & nauſea blandis:*
*Libera uermiculo ſit citò lingua malo.*

### Lumbricus.

*Lumbricos crudus proſeminat humor in aluo:*
*Exercet pueros ſæpiùs ille dolor.*

### Lumbricus terreſtris.

*Foràs lumbrice, qui ſub terra erepſiſti modò:*
*Qui modò nuſquã cõparebas: nũc quũ cõpares, peris.*

### Hirundo.

*Non miſſura cutem, niſi plena cruoris hirundo:*
*Sic æruſcator turgidus ære fugit.*

*

*Plus iuſto ſitiens uitalis hirudo cruoris:*
*Pallentem mittit non niſi plena cutem.*

### Eruca.

*Flexilis erodit caules eruca uirentes:*
*Peſtis adeſt folijs Braßica nempe tuis.*

### Campe.

*Sordida pulcricomis inſidere floribus audet:*
*Quæ uario campe terga colore gerit.*

Mil-



### Millepeda.

*Floribus, & folijs per me depaſcitur arbos*
*Fertilis: haud lætus fructibus annus erit.*

*

*Et pilis horret, tractuq́; obſerpit iulus*
*Arquato: præfert agmine mille pedes.*

### Curculio. Termus.

*Curculio frumenta tibi: carnaria termes*
*Perdit: ſunt acidis mucida uina cadis.*

### Voluox.

*Curculio populat numeroſum farris aceruum:*
*Sed rodit uites Bacche uolucra tuas.*

### Midas.

*Piſa, fabaſq; Midas exeſt: ſed cornua rodit*
*Seps breuis: alba pigro ſit Scolopendra ſitu.*

### Aſellus.

*Terga pilæ ſimilem contactus aſellus in orbem*
*Contrahit: & multos fertur habere pedes.*

### Coſſus.

*Altilis in ligno natus dat prandia Coſſus*
*Lauta Phrygi: lignum rodit, & oſſa uorax.*

### Teredo.

*Virtutum tibi ſigna placent: ſed diſplicet uſus:*
*Sub pulcro uermis cortice ſæpe latet.*

### Blatta. Tinea.

*Littera me pauit: nec, quid ſit littera, noui:*
*In libris uixi: nec ſum ſtudioſior inde.*

 An

*

*An potius tunicas piperi liber, atq; cucullos?*
*An blattis epulas uis, tineisq; dare?*

*

*Paſcere ſi tineas, blattasq; libelle recuſas:*
*Te redimet ſoli forſitan ære coqui.*

PARADISI POETICI
FINIS.

## SOLI DEO GLORIA.
ex quo, ſecundum Empedoclem.

πάνθ' ὅσα τ' ἦν, ὅσα τ' ἐστὶν, ἰδ' ὅσσα γε ἔσται ὀπίσσω,
Δένδρεά τ' ἐβλάστησε, καὶ ἀνέρες, ἠδὲ γυναῖκες,
θῆρές τ' οἰωνοί τε, καὶ ὑδατοθρέμμονες ἰχθῦς.

ME-



# METAMORPHOSIS ANIMALIVM, EORVMQVE generatio admiranda,

## EX P. OVIDII NASONIS libro x v. Metamor.

*Non'ne uides, quæcunque mora, fluidoq; calore*
*Corpora tabuerint, in parua animalia uerti?*
*I quoque, delectos mactatos obrue tauros:*
*(Cognita res uſu) de putri uiſcere paſſim*
*Florilegæ naſcuntur apes: quæ more parentum*
*Rura colunt: operiq; fauent: in ſpemq; laborant.*
*Preſſus humo bellator equus, crabronis origo eſt.*
*Concaua littoreo ſi demas brachia cancro;*
*Cætera ſuppones terræ: de parte ſepulta*
*Scorpius exibit: caudaq; minabitur unca.*
*Quæq; ſolent canis frondes intexere filis:*
*Agreſtes tineæ (res obſeruata colonis)*
*Ferali mutant cum papilione figuram.*
*Semina limus habet, uirides generantia ranas:*
*Et generat truncas pedibus: mox apta natando*
*Crura dat: utq; eadem ſint longis ſaltibus apta:*
*Poſterior ſuperat partes menſura priores.*
*Nec catulus, partu quem reddidit urſa recenti,*
*Sed male uiua caro eſt: lambendo mater in artus*

Fin-

Fingit:& in formam, quantam capit ipſa, reducit.
Non'ne uides, quos cera tegit ſexangula, fœtus
Melliferarum apium ſine membris corpora naſci:
Et ſeroſq; pedes, ſeraſq; aſſumere pennas?
Iunonis uolucrem, quæ cauda ſidera portat,
Armigerumq; Iouis, Cythereïadaſq; columbas,
Et genus omne auium medijs è partibus oui
Ni ſciret fieri: quis naſci poſſe putaret?
Sunt qui, quum clauſo putrefacta eſt ſpina ſepulcro,
Mutari credant humanas angue medullas.
Hæc tamen ex alijs generis primordia ducunt.
Vna eſt, quæ reparet, ſeq; ipſa reſeminet ales:
Aſſyrij Phœnica uocant: nec fruge, nec herbis:
Sed thuris lacrymis, & ſucco uiuit amomi.
Hæc ubi quinq; ſuæ compleuit ſecula uitæ:
Ilicis in ramis, tremulæq; cacumine palmæ,
Vnguibus, & duro nidum ſibi conſtruit ore.
Quò ſimul ac caſias, & nardi lenis ariſtas,
Quaſſaq; cum fulua ſubſtrauit cinnama myrrha:
Se ſuper imponit, finitq; in odoribus ſuum.
Inde ferunt, totidem qui uiuere debeat annos,
Corpore de patrio paruum Phœnica renaſci.
Quum dedit huic ætas uires, oneriq; ferendo eſt:
Ponderibus nidi ramos leuat arboris altæ:
Fertq; pius cunaſq; ſuas, patriumq; ſepulcrum:
Perq; leues auras Hyperionis urbe potitus:
Ante fores ſacras Hyperionis æde reponit.

Si



Si tamen eſt aliquid miræ nouitatis in iſtis:
Alternare uices: & quæ modò fœmina tergo
Paſſa marem eſt, nunc eſſe marem miremur Hyænam.
Id quoq;, quod uentis animal nutritur, & aura,
Protinus aſsimulat, tetigit quoſcunq; colores.
Victa racemifero lyncas dedit India Baccho:
E` quibus (ut memorant) quicquid ueſica remiſit:
Vertitur in lapides, & congelat aëre tacto.
Sic & Coralium, quo primùm contigit auras
Tempore, dureſcit: mollis fuit herba ſub undis.
Deſinet antè dies, & in alto Phœbus anhelos
Aequore tinget equos: quàm conſequar omnia dictis.
In ſpecies tranſlata nouas ſic omnia uerti
Cernimus: atq; alias aſſumere robora gentes,
Concidere has. ſic magna fuit cenſuq;, uiriſq;,
Perq; decem potuit tantùm dare ſanguinis annos:
Nunc humilis ueteres tantummodò Troia ruinas,
Et pro diuitijs tumulos oſtendit auorum.
Clara fuit Sparte: magnæ uiguêre Mycenæ:
Nec non & Cecropis, nec non Amphionis arces,
Vile ſolum Sparte eſt: altæ cecidêre Mycenæ:
Oedipodioniæ quid ſunt, niſi nomina, Thebæ?
Quid Pandioniæ reſtant, niſi nomen, Athenæ?

P. OVI.

# P. OVIDII NASO-NIS FRAGMENTVM HALI-EVTICI, A' CONRADO GESNERO

emendatum, reſtitutumq́;.

Accepit mundus legem: dedit arma per omnes:
Admonuitq́; ſui. Vitulus ſic nanq; minatur:
Qui nondum gerit in tenera iam cornua fronte
Sic damæ fugiunt: pugnant uirtute leones:
Et morſu canis: & caudæ ſic ſcorpius ictu:
Concuſſisq́; leuis pinnis ſic euolat ales.
Omnibus ignotæ mortis timor: omnibus hoſtem,
Præſidiumq́; datum ſentire, & noſcere teli
Vimq́;, modumq́; ſui. ſic & Scarus arte ſub undis,
Contextam ſi forte leui de uimine naſſam
Incidit: aſſumptamq́; dolo tandem pauet eſcam:
Non audet radijs obnixa occurrere fronte:
Auerſus crebro ueniens ſub uerbere caudæ,
Laxans ſubſequitur: tutumq́; euadit in æquor.
Quin etiam ſi fortè aliquis, dum ponè nataret,
Mitis luctantem Scarus hunc in uimine uidit:
Auerſi caudam morſu tenet: atq; trahendo
Captiuum texto ſocium de carcere ſoluit.
Sepia tarda fugæ, tenui quum fortè ſub unda
Deprenſa eſt: iam iamq́; manus timet illa rapaces:
Inficiens æquor nigrum uomit illa cruorem:
Auertitq́; uices, oculos fruſtrata ſequentes.

Clau



Clauſus rete lupus, quamuis immanis, & acer
Dimotis cauda, latitat ſubmiſſus arenis.
At piſcis captus, qui Graio eſt nomine Ceſtreus,
Emicat: atq; dolos ſaltu deludit inultus.
Et Muræna ferox, teretis ſibi conſcia tergi,
Ad laxata magis conuerſa foramina retis:
Tandem per multos euadit lubrica flexus:
Exemploq́; nocet: cunctis quòd præuenit una.
At contrà ſcopulis crinali corpore ſegnis
Polypus hæret: & hac eludit retia fraude:
Et ſub lege loci ſumit, mutatq́; colorem:
Semper ei ſimilis, quem contigit: atq; ubi prædam
Pendentem ſetis, auidus rapit: hìc quoq; fallit
Elato calamo: tum demum emerſus in auras
Brachia diſſoluit, ſpoliatumq́; expuit hamum.
At Mugil cauda pendentem euerberat eſcam,
Excuſſamq́; legit. Lupus acri concitus ira,
Diſcurſu fertur uario: fluctuſq́; ferentes
Proſequitur: quaſſatq́; caput: dum uulnere ſæuus
Laxato cadat hamus: & ora potentia linquat.
Nec proprias uires neſcit Muræna nocendi,
Auxilioq́; ſibi, morſu, nec eo nimis acri
Deficit: aut animos ponit captiua minaces.
Anthias his tergo, quæ non uidet, utitur armis:
Vim ſpinæ nouitq́; ſuæ: uerſoq́; ſupinus
Corpore lina ſecat: fixumq́; intercipit hamum.
Cætera, quæ denſas habitant animalia ſyluas,

Aut

Aut uani quatiunt ſemper lymphata timores:
Aut trahit in præceps non ſana ferocia mentis.
Ipſa ſequi natura mouet,uel cominus ire.
Fœdus Lucanis prouoluitur Vrſus ab antris:
Quid niſi pondus iners,ſtolidæq; ferocia mentis?
Impiger & telo uenantem ſternere pergit
Agmina:& aduerſis infert ſua pectora telis:
Quoq; uenit,fidens magis,& ſublatior ardet:
Concuſſitq; toros:& uiribus addidit iram:
Proruit,atq; ſuo properat ſibi robore lethum.
Actus Aper ſetis iram denunciat hirtis:
Et ruit,oppoſiti nitens in uulnera ferri:
Preſſus & emiſſo moritur per uiſcera telo.
Altera pars fidens pedibus,dat terga ſequenti:
Vt pauidi Lepores:ut fuluo tergore Damæ:
Et capto fugiens Ceruus ſine fine timore.
Ipſa fugam natura docet,uel comminus ire.
Hîc generoſus honos,& glorio maior Equorum.
Nam capiunt animis palmam:gaudentq; triumpho:
Seu ſeptem ſpacijs circo meruêre coronam:
Non'ne uides,uictor quantò ſublimius altum
Attollat caput:& uulgi ſe uenditet auræ?
Celſáue quum cæſo decoratur terga Leone:
Quàm tumidus,quanto ueniat ſpectabilis actu?
Compeſcatq; ſolum generoſo concita pulſu
Vngula,ſub ſpolijs grauiter redeuntis opimis?
Quæ laus prima canum?quibus eſt audacia præceps:





Venandiq; ſagax uirtus,uireſq; ſequendi.
Quæ nunc elatis rimantur naribus auras:
Et nunc demiſſo quærunt ueſtigia roſtro:
Et produnt clamore feram:dominumq; uocando
Increpitant: quem ſi collatis effugit armis:
Inſequitur tumuloſq; canis,campoſq; per omnes.
Noſter in arte labor poſitus:ſpes omnis in illo.
Nec tamen in medias pelagi te perdere ſedes
Admoneam:uaſtiq; maris tentare profundum.
Inter utrunq; loci melius moderabere finem.
Aſpera num ſaxis loca ſunt:nam talia lentos
Depoſcunt calamos:at purum retia littus:
Num mons horrentes demittat celſior umbras
In mare:nam uariè quidam fugiuntq;,petuntq;.
Num uada ſubnatis imo uiridentur ab herbis
In fundo:ſoleatq; illic ſe paſcere piſcis:
Oblecterq; moras:& molli ſeruiat algæ.
Deſcripſit ſedes uarias natura profundi:
Nec cunctos unà uoluit conſiſtere piſces.
Nam gaudent pelago,quales Scombriq;,Boueſq;
Hippuri celeres,& nigro tergore Milui:
Et precioſus Helops,noſtris incognitus undis:
Ac durus Xiphias,ictu non mitior enſis:
Et pauidi magno fugientes agmine Thynni:
Parua Echeneis adeſt(mirum)mora puppibus ingẽs:
Tuq; comes ratium,tractiq; per æquora ſulci:
Qui ſemper ſpumas ſequeris Pompile nitentes:

*Cercyroſq; ferox, ſcopulorum fine moratus:*
*Cantharus ingratus ſucco: tum concolor illi*
*Orphus: cæruleaq; rubens Erythrinus in unda:*
*Inſignis Sarguſq; notis, inſignis & alis:*
*Et ſuper aurata Sparulus ceruice refulgens:*
*Et rutilus Pagrus: & fului Synodontes: & ex ſe*
*Concipiens Channe, gemino fraudata parente.*
*Tum uiridis Teragus, paruo ſaxatilis ore:*
*Et rarus Faber: & pictæ Mormyres: & auri*
*Chryſophrys imitata decus: tum corporis Vmbræ*
*Liuentis, rapidiq; Lupi, Percæq;, Tragiq;.*
*Quin laude inſignis caudæ Melanurus: & ardens*
*Auratis Muræna notis, Merulæq; uirentes:*
*Immitiſq; ſuæ Conger per uulnera gentis:*
*Et capitis duro nociturus Scorpius ictu:*
*Ac nunquàm æſtiuo conſpectus ſidere Glaucus.*
*At contrà herboſa piſces laxantur arena:*
*Vt Scarus, epaſtas ſolus qui ruminat eſcas:*
*Fœcundumq; genus Mænæ, Lamyroſq;, Smariſq;,*
*At immunda Chromis: meritò uiliſsima Salpa:*
*Atq; auium dulces nidos imitata ſub undis:*
*Et Squalus, & tenui ſuffuſus ſanguine Mullus:*
*Fulgentes Soleæ candore: & concolor illis*
*Paſſer: & Adriaco mirandus littore Rhombus.*
*Tunc Epodes lati, tunc molles tergore Ranæ:*
** Lubricus, & ſpina nocuus non Gobius ulla:*
*Et nigrum niueo portans in corpore uirus*

** Lol-*



** Lolligo, diriq; Sues, ſinuoſaq; ſerpens:*
*Et tàm deformi non dignus nomine Aſellus:*
*Tuq; peregrinis Acipenſer nobilis undis.*

## P. VERGILII MARONIS De ætatibus animalium Epigramma.

*Ter binos, decieſq; nouem ſuperexit in annos*
*Iuſta ſeneſcentum, quos implet uita, uirorum,*
*Hos nouies ſuperat uiuendo garrula cornix:*
*Et quater egreditur cornicis ſecula ceruus:*
*Alipedem ceruum ter uincit coruus: at illum*
*Multiplicat nouies phœnix reparabilis ales.*
*Quem uos perpetuo decies præuertitis æuo*
*Nymphæ Hamadryades: quarum longiſsima uita eſt.*
*Hi cohibent fines uiuacia fata animantûm:*
*Cætera ſecreti nouit Deus arbiter æui.*

## DE PHILOMELA ELEgia incerti auctoris.

*Dulcis amica ueni, noctis ſolatia præſtans:*
*Inter aues etenim nulla tibi ſimilis.*
*Tu Philomela potes uocum diſcrimina mille:*
*Mille potes uarios ipſa referre modos.*

P 2 *Nam,*

*Nam, quamuis aliæ uolucres modulamina tentent,*
*Nulla poteſt modulis æquiualere tuis.*
*Inſuper eſt auium ſpacijs garrire diurnis:*
*Tu cantare ſimul nocte, dieq; potes.*
*Parus enim quamuis per noctem tinninet omnem:*
*At ſua uox nulli iure placere poteſt.*
*Dulcè Palara ſonat, quam dicunt nomine Droſtam:*
*Sed fugiente die nempe quieta ſilet.*
*Et Merulus modulans iam pulchris concinit odis:*
*Nocte ruente tamen carmina nulla canit.*
*Vere calente nouos componit Acredula cantus:*
*Matutinali tempore tunc mitilans.*
*Dum Turdus trutilat: Sturnus tunc piſitat ore:*
*Sed quod manè canunt, ueſpere non recolunt.*
*Cacabat hinc Perdix: hinc gratitat improbus anſer:*
*Et caſtus Turtur, atq; Columba gemunt.*
*Plauſitat arborea clamans de fronde Palumbes:*
*In fluuijsq; natans fortè tetrinit Anas.*
*Grus gruit: inq; glomis Cycni prope flumina drēſant:*
*Accipiter pipat: Miluus biansq; lipit.*
*Cucurrire ſolet Gallus: Gallina gracillat:*
*Pupillat Pauo: trinſat Hirundo uaga.*
*Dum clangunt Aquilæ: Vultur pulpare probatur:*
*Et crocitat Coruus: Graculus at frigulat.*
*Glotorat, immenſo de turre Ciconia roſtro:*
*Peſsimus at Paſſer triſtia flendo pipit.*

*Pſit-*



*Pſittacus humanas depromit uoce loquelas:*
*Atq; ſuo domino χαῖρε, ualeq; ſonat.*
*Pica loquax uarias modulatur gutture uoces:*
*Scurrili ſtrepitu, quicquid & audit, ait.*
*Et Cuculi cuculant: fritinit rauca Cicada:*
*Bombilat ore legens munera mellis Apis.*
*Bubulat horrendùm ferali carmine bubo:*
*Humano generi triſtia damna ferens.*
*Strix nocturna ſonans: & Veſpertilio ſtridunt:*
*Noctua lucifuga cucubat in tenebris.*
*Aſt ululant ululæ lugubri uoce canentes:*
*Inq; paludiferis Buteo bubit aquis.*
*Regulus, atq; Merops, & rubro pectore Progne*
*Conſimili modulo Zinzilulare ſciunt.*
*Scribere me uoces auium Philomela coëgit:*
*Quæ cantu cunctas exuperat uolucres.*
*Sed iam quadrupedum fari diſcrimina uocum*
*Nemine cogenti nunc ego ſponte ſequar.*
*Tigrides indomitæ rancant, rugiuntq; Leones:*
*Panther caurit amans; Pardus biando felit.*
*Dum Lynces orcando fremunt: urſus ferus uncat:*
*At Lupus ipſe ululat: frendet agreſtis Aper.*
*Et Barrus barrit: Cerui glocitant, & Onagri:*
*Aſt Taurus mugit: & celer hinnit Equus.*
*Quirritat Verres: Tardus rudit: oncat Aſellus:*
*Blacterat hinc Aries: & pia balat ouis.*

P 5 Sor-

Sordida Sus paſcens ruris per grantina grunnit:
  At mutire Capris Hirce petulce ſoles.
Rite Canis latrat: fallax Vulpecula gannit:
  Glaucitat & Catulus: at Lepores uagiunt.
Mus auidus mintrat: uelox Muſtelaq; dintrit:
  Et Grillus grillat: deſticat inde Sorex.
Ecce ueneno ſus ſerpendo ſibilat Anguis:
  Garrula limoſis Rana coaxat aquis.
Has uolucrum uoces deſcripſi, quadrupedumq;:
  Quas natura illis grata parens tribuit.
Sed cunctas ſpecies animantum nemo notauit:
  Atq; ſonos ideò dicere quis poterit?
Cuncta ſuo domino depromunt munera laudum:
  Seu ſemper ſileant, ſiue ſonare queant.

## LAVDES HORTVLI EX P. VERGILII MARONIS Epigrammatis.

Adeſte Muſæ maximi proles Iouis:
Laudes feracis prædicemus hortuli.
Hortus ſalubres corpori præbet cibos:
Varioſq; cultus ſæpè cultori refert:
Olus ſuaue, multiplex herbæ genus:
Vuas nitentes, atq; fœtus arborum.
Non deſit hortis & uoluptas maxima:
Multiſq; miſta commodis iucunditas.

Aquæ



Aquæ ſtrepentis uitreus lambit liquor:
Sulcoq; ductus irrigat riuus ſata.
Flores niteſcunt diſcolore gramine:
Pinguntq; terras gemmeis honoribus.
Apes ſuſurro murmurant gratæ leui:
Quum ſumma florum, uel nouos rores legunt.
Fœcunda uitis coniuges ulmos grauat:
Textaſq; inumbrat pampinus arundines.
Opaca præbent arbores umbracula:
Prohibentq; denſis feruidum Solem comis.
Aues canoros garrulæ fundunt ſonos:
Et ſemper aures cantibus mulcent ſuis.
Oblectat hortus, aduocat, paſcit, tenet:
Animoq; mœſto demit angores graues.
Membris uigorem reddit: & uiſus capit:
Refert labori pleniorem gratiam:
Tribuit colenti multiforme gaudium.

# NICOLAI REVSNERI
## LEORINI SILESIJ,

PENVS POETICA:

OMNIS GENERIS ESCV-
lentis, & potulentis, ad uictum quoti-
dianum neceſſarijs, inſtructa,
atq; referta.

# STEPHANO EN-DORFERO, STEPHANI F. PATRICIO AV-guſtano.

Seria quum tractent alij: mihi ludere, quæris,
Cur libeat? ludus non malus omnis erit.
Sed bonus hic ludus, ſed honeſtus, & utilis eſto;
Quo, ueluti ſomno, dum licet, uſq; fruar.
Alea ſunt quos blanda iuuet, turpisq; fritillus:
Ludere nec nucibus, nec libet ore mihi.
Me iuuet Aonijs potiùs colludere Nymphis:
Sic mihi, quæ tracto, ſeria, ludus erunt.
Si ſapis, hoc etiam mecum STEPHANE utere ludo:
Ludus non damnum, ſed facit iſte lucrum.

NI-



# NICOLAI REVSNERI LEORINI SILESII,

## PENVS POETICA.

Penus.

*Magna penus paruo ſpacio conſumpta peribit:*
*Aßidua ſi non hæc reparetur ope.*

Cibus.

*Membra cibus reparat diuturno fracta labore:*
*Cumq; animo uires corpus habere facit.*

Potus.

*Vina ſitim ſedent: & uates carmina uino,*
*Ingenium felix quod facit, apta canunt.*

Annona.

*Anni uictus adeſt: annonæ credite parce:*
*Neſcis, quid ſeri ueſperis hora ferat.*

Diarium.

*Cum ſeruis cur ſtulte diaria rodere mauis*
*Villice? quàm pulcri cernere ruris opes?*

Ientaculum.

*Surgite, iam uendit pueris ientacula piſtor:*
*Criſtatæq; ſonant undique lucis aues.*

*

*Surgite iam pueri: ientacula ſumite læti*
*Sobria: ieiunus iuſcula uenter amat.*

Pran-

## Prandium.

*Pranſus non auidè, cœnabis ſuauius: ille*
*Obſonat cœnam, qui ſatur eſſe poteſt.*

## Merenda.

*Ventre diem ſi non durare ualebis inani:*
*Expleat immitem parua merenda famem.*

## Sportula.

*Virtus, atq; animus cœnis reſponſat opimis:*
*Promiſſa eſt nobis ſportula, cœna datur.*

## Cœna.

*O`noctes, cœnæq; Deûm: quibus inter amicos*
*Quiſque ſuos proprium ueſcitur ante larem.*

## Comeſſatio.

*Parcite conuiuæ totum ſorbere Calenum:*
*Expectat ſocios craſtina menſa toros.*

## Epulum.

*Frange toros: pete uina: roſas cape: tingere nardo:*
*Ipſe iubet mortis te meminiſſe Deus.*

## Chariſtia.

*Proxima cognati dixêre Chariſtia cari:*
*Et uenit ad ſocios turba propinqua Deos.*

*

*Iam poſitis fiant celebrata Chariſtia menſis:*
*Quantus odorato luceat igne focus.*

## Cupediæ.

*Ingenioſa gula eſt: lantæ cupedine menſæ*
*Sæpe grauem renouat per ſua damna famem.*

Ob-



## Obſonium.

*Quæ paruo ſumi nequeunt, obſonia captas:*
*Cum fluuio Perſis ſufficit alma Ceres.*

*

*Nolo mihi rhombum ponas, mullum'ue bilibrem:*
*Nec uolo boletos: panis, & unda ſatis.*

## Panis.

*Latrantem ſtomachum benè lenit cum ſale panis:*
*Si non panis adeſt: mattya nulla ſapit.*

*

*Viuimus arte: fouet nos omni tempore panis:*
*Lautitiæ ſapiunt nec ſine pane dapum.*

*

*Panis erat primis uirides mortalibus herbæ:*
*Quas tellus nullo ſollicitante dabat.*

*

*Prima Ceres, homine ad meliora uocato,*
*Mutauit glandes utiliore cibo.*

## Panes Picentini.

*Picentina Ceres niueo ſic nectare creſcit:*
*Vt leuis accepta ſpongia turget aqua.*

## Panis triticeus.

*Haud leuiter triticum coquitur: ſed plurima coctum*
*Robora, ſi panem feceris inde, dabit.*

## Panis ſiligineus.

*Si uis eſſe ſatur: panem det pura ſiligo:*
*Delicijs poteris ſic ſatur eſſe tuis.*

Et

*

*Et tener,& niueus,molliq; ſiligine factus*
*Seruatur domino:panis tibi ſufficit ater.*

Panis ater.

*O' quàm magnus homo es,qui fece rubentis aceti,*
*Et ſtipula,& nigro pane carere potes.*

Panis ſecalicius.

*Panem uocas malum? ceſſa,bonus fiet:*
*Tenerum,ſiligineumq; mox fames reddet.*

Panis furfuraceus.

*Seruitijs aptas præſtabunt furfura cœnas:*
*Per uentrem quibus eſt ianua laxa ſatis.*

Panis mucidus.

*Vix frangas ſolidæ iam mucida fruſta farinæ:*
*Quæ genuinum agitent,non admittentia morſum.*

Panis gradilis.

*Vos,quos panis alit gradibus diſpenſus ab altis,*
*Vos magis eſſe probos,uos decet eſſe pios.*

Simila.

*Nec poteris ſimilæ dotes numerare,nec uſus:*
*Piſtori toties quum ſit,& apta coquo.*

Far.

*Imbue plebeias Cluſinis pultibus ollas:*
*Vt ſatur in uacuis dulcia muſta bibas.*

Chondrus.

*Nobile uiſcoſi genus eſt,nec inutile chondri:*
*Si benè,ceu uilis ptiſana,coctus erit.*

Alica.



Alica.

*Nos alicam,mulſum poterit tibi mittere diues:*
*Si tibi noluerit mittere diues,eme.*

*

*Quiſquis amas alicam dulci confundere mulſo:*
*Aßimilem chondro noueris eſſe cibum.*

Hordeum.

*Hordea deſiccant benè fricta:ſed humida coctis*
*Vis erit:exiguum robur & inde datur.*

Zea.

*Zea ueni melior,minimo tepefacta liquore:*
*Cui tribuunt primos hordea,farq; gradus.*

Polenta.

*Balnea uiſurus,madidas æſtate polentas,*
*Ne ſitias,ſiccis faucibus,antè uora.*

Scribleta.

*Circumlata diu menſis ſcribleta ſecundis,*
*Vrebat nimio ſæua calore manus.*

Spira.

*Spira rotæ forma,ſpiræq; uolubilis extat:*
*Concoctu facilis non ſolet eſſe cibus.*

Cruſtulum.

*Intonſis olim pueris dant cruſtula blandi*
*Doctores:elementa uelint ut diſcere prima.*

Placenta.

*Quòd placeat,ſeu quòd ſuperos mollita placenta*
*Placet:an hinc potius nomen,an inde tenet?*

Mella

*

*Mella dat, & nucleos medicus, dulceſq; placentas:*
*Et quicquid pueros non eſſe truces.*

## Copta Rhodia.

*Peccantis famuli pugno ne percute dentes:*
*Clara Rhodos coptam, quam tibi miſit, edat.*

## Turunda.

*Turunda turdis eſca ſolis cognita:*
*Procerum cibus menſis modò eſt gratiſſimus.*

*

*Quis hoc credat? ego illa, quam comeſſe*
*Nec dites, neq; pauperes ſolebant:*
*Quæ ſolis auibus parabar eſca:*
*Nunc lautis ſuperûm Turunda menſis*
*Acceptiſſima ſum: nec ullus eſt iam,*
*Qui non ambroſiæ meum ſaporem*
*Longè præferat: ore quiſque Diuûm*
*Me uorat cupido: & caniſtra plena*
*Menſis terq;, quaterq; fert Iuuenta.*

## Conchis faba.

*Si ſpumet rubra conchis tibi pallida teſta:*
*Lautorum cœnas ſæpe negare potes.*

## Piſa.

*Sæpe fabæ leni ſufflarunt corpora flatu:*
*Piſa minus: bilem ſed peperêre nigram.*

Pha-



## Phaſelus.

*Si piper, & mulſum miſcet coquus arte phaſelo:*
*Dic mihi, naturæ ſeruit, an ille gulæ?*

## Lens.

*Laxior exiguas lentes potes eſſe: ſed illis*
*Ater in exiguo corpore ſuccus ineſt.*

## Lupinus.

*Siccus, & eſt calidus, rudis, incultuſq; lupinus:*
*Qui conuiua tibi ruſtice durus eat.*

## Milium.

*Quod uentrem tenet, & ueſicam liberat udam:*
*Lacte tibi milium dulce nitente fluat.*

## Oriza.

*Puls ſit oriza mihi: ſed lac, & amygdala iunge*
*Dulcia: puls Veneri fiet, & apta gulæ.*

## Puls.

*Puls olim pro pane tibi Romane placebat:*
*Nec panis, nec puls iam tibi ſola placent.*

## Pulmentum.

*Quàm benè cœnabis pulmenta, laboribus empta:*
*Condimenta cibi ſunt labor, atq; fames.*

*

*Cœnatum eas in Phiditia Laconica:*
*Nigro fruare iure, quod ibi apponitur.*

## Ius.

*Si robur cerebro, ſtomacho dat mite leuamen:*
*Cur non ſit tepidum ius tibi, cœna, caput?*

Q Offa.

Offa.

*Si placet offa tibi, ſi lactis maſſa coacti:*
*Sumptibus exiguis iam ſatur eſſe potes.*

Maza.

*Poſt panes quoq; maza bona eſt: uentriq; latranti*
*Carior eſt auro, carior eſt ebore.*

Mittilis.

*Oſtrea tu ſumis ſtagno ſaturata Lucrino:*
*Sumitur inciſo mittilis ore mihi.*

Minutal.

*Miſcet quando minutias ciborum:*
*Hinc exit uarium coquo minutal.*

Artocrea.

*Largior an prohibes oleum, artocreasq; popello?*
*Pro Dijs, pro genio fas ſacra ferre Ducis.*

Olus.

*O quando faba Pythagoræ cognata, ſimulq;*
*Vncta ſatis pingui ponentur oluſcula lardo?*

Caulis.

*Caule ſuburbano, qui ſiccis creuit in agris*
*Dulcior, irriguo nihil eſt elutius horto.*

Braſsica.

*Ne tibi pallentes moueant faſtidia caules:*
*Nitrata uiridis braßica fiat aqua.*

Crambe.

*Profuit hanc ſucco conſpergere pinguis oliuæ:*
*Lac auget: multum ſanguinis eſſe facit.*

Oc-



*

*Occidit miſeros crambe repetita magiſtros:*
*Ridetur, chorda qui ſemper oberrat eádem.*

*

*Tu ſale duratos caules, & frigore cœnas:*
*Cumq; ſuis ſetis rancida terga ſuis.*

Beta.

*Cruda eſt beta? nocet coctam ſumpſiſſe iuuabit:*
*Sumpta frequens ſtomachum uellicat, atq; iecur.*

Rapum.

*Commoda multiuoris præbent alimenta colonis:*
*Ruſtica proiectis eruta rapa comis.*

*

*Sæpe rapis uentum: ſi tu uis uiuere rapis:*
*Sed Veneri non ſunt hæc inimica tuæ.*

Napi.

*Gloria Nurſinis, ſitientes cedite napi:*
*Educet ipſe licet uos Amiternus ager.*

Paſtinaca erratica.

*Candida, non montana placet: cui lumbus, & arctum*
*Eſt femur: errantem, quæ magis urit, edat.*

Caryota.

*Aurea porrigitur Iani caryota calendis:*
*Sed tamen hoc munus pauperis eſſe ſolet.*

Lactuca.

*Hortorum lactuca decus, requiesq; ciborum:*
*Sæpe leues ſomnos conciliare ſolet.*

 Prima

*

*Prima tibi dabitur uentri lactuca mouendo*
*Vtilis, & porris fila reſecta ſuis.*

*

*Vtere lactucis, & mollibus utere maluis:*
*Prima ſimul, ſimul & menſa ſecunda placet.*

Raphanus.

*Ille replet uacuam uentoſis flatibus aluum:*
*Ante cibos noli ſumere, crimen habent.*

Cepa.

*Vilia mordaces equidem ſunt prandia cepæ:*
*Prandia ſed ſtomachus uilia crudus amat.*

Porrum.

*Officiunt oculis capitati ſegmina porri:*
*Interiora graui uiſcera mole premunt.*

Bulbus.

*Longa breues ſtomachi pellunt faſtidia bulbi:*
*Iamq; olim Veneri mortua membra nouant.*

Allium.

*Luminibus, ſtomachoq; nocet: ſi copia ſumpti*
*Multa ſit: & ſicca conficit ora ſiti.*

Boleti.

*Si quis amat tuberes: boletos rodat olentes:*
*Sed, niſi percoctis, uirus ineſſe puta.*

*

*Sunt tibi boleti: fungos ego ſumo ſuillos:*
*Res tibi cum rhombo eſt: at mihi cum ſparulo.*

Tu-



Tubera.

*Cui caput obtuſum, & triſte eſt, mollesq; lacerti:*
*Exeat: his tantùm tubera cœna negat.*

Fungi.

*Creditur haud alijs: pratenſibus optima fungis*
*Natura eſt: mihi iam cætera turba uale.*

*

*Cui pituita placet, uel inani frigida ſucco*
*Pectora: fungorum millia multa uoret.*

Poma.

*Poma tibi placeant: ſiccatum frigore poſtquàm*
*Autumnum, & crudi poſuêre pericula ſucci.*

*

*Autumnus menſas, felicia poma, ſecundas*
*Fert mitis: plena ſæpe legenda manu.*

*

*In canas ſemen perducit tempus ariſtas:*
*Et ne ſint triſti poma ſapore, facit.*

*

*Poma ſuo quondam iuuenes in amore iuuabant:*
*Auxilium multis poma tuliſſe ferunt.*

Mala.

*Hippomenes malo Schœneida uicit amatam:*
*Sic Peliam malis Colchis acerba necat.*

*

*Regis aquæ pronepos malo Schœneida uicit:*
*Quam nequijt curſus, poma tuliſtis opem.*

 Fœti-

*

*Fœtibus arboreis dominam placare ſolebat*
*Paſtor amans:mittens aurea mala decem.*

Mala dulcia.

*Dulcia mala calent reliquis magis:& citò uentrem*
*Reſtituunt:acidis frigidus horror ineſt.*

Mala muſtea.

*Ambroſiam ſapiunt,& nectar muſtea mala:*
*Quæ Paradiſeo nomine clara manent.*

Mala aurea.

*Aurea mala uides Veneris:quod dulcis amaror*
*Indicat:eſt uerè dulcis amaror,amor.*

*

*Aurea mala meæ donum ſaluete puellæ:*
*Aurea purpureis addita mala roſis.*

*

*Talia credibile eſt ſpaciantem rure paterno*
*Nauſicaam pleno ſæpe tuliſſe ſinu.*

*

*Talibus Hippomenes rapuit Schœneida pomis:*
*Talibus Heſperidum nobilis hortus erat.*

*

*Tale fuit malum,quod littera pinxit Aconti;*
*Qua lecta,cupido pacta puella uiro eſt.*

*

*Tale fuit roſeis in odoræ uallibus Idæ:*
*Victrici tenuit quod Cytherea manu.*

Mala



Mala Cydonia.

*Si tibi Cecropio ſaturata Cydonia melle*
*Ponentur:dicas hæc melimela licet.*

Mala Punica.

*Aequoris hæc rubri puras imitantia gemmas,*
*Lucida pallenti cortice grana tegunt.*

Mala citrea.

*Aut Corcyræi ſunt hæc de frondibus horti:*
*Aut hæc Maſſyli poma Draconis erunt.*

*

*Mala ueneno ſo medicari Medica uiro:*
*Si medicis nolim credere:credo tibi.*

Mala Apyrina.

*Non tibi de Libycis tuberes,& apyrina ramis:*
*De Nomentanis ſed damus arboribus.*

Mala Armeniaca.

*Poma eadem dicas,quæ Perſica:ſed magis amplum*
*His corpus:nos hæc aurea forma iuuat.*

Mala Perſica.

*Vilia maternis fueramus præcoqua ramis:*
*Nunc in adoptiuis Perſica cara ſumus.*

*

*Mollia laxamus uentres,& ſicca tenemus:*
*Nos timuit Perſis:ſed tibi blanda ſumus.*

*

*Perſica quiſquis edet,cœnæ ſint prima uideto:*
*Ne noceant,alio non citò pulſa cibo.*

 Pira.

Pira.

*Fert pira noſtra pirus: ſine uino ſunt pira uirus:*
*Si pira ſunt uirus: ſit procul ergo pirus.*

*

*Signinum, Syriumq́; pirum, de cortibus iiſdem*
*Aemula Picenis, & odoris mala recentis.*

*

*Vt pira non noceant: extrà mundentur, & intrà:*
*Mox immerge ſali: proiice deinde foràs.*

Pruna.

*Pruna licet uario decorata colore niteſcant:*
*Frigent, & putri craſſa liquore fluunt.*

Pruna Cerina.

*Pruna uides generoſa, nouas imitantia ceras:*
*Quæ liuent ſucco, ſi placet, adde nigro.*

Pruna Damaſcena.

*Pruna peregrinæ carie rugoſa ſenectæ*
*Sume: ſolent duri ſoluere uentris onus.*

Ceraſa.

*Rubra mihi cutis eſt: latet intus uiteus humor:*
*Os pro corde gero: ſemen at illud habet.*

*

*Noxia ſunt ſtomacho ceraſi prædulcia poma:*
*Ingerat huic eadem ſi quis acerba, iuuant.*

*

*Expurgat ſtomachum nucleus: lapidemq́; reſoluit:*
*Hinc melior toto corpore ſanguis ineſt.*

Ce-



Ceraſa Actia.

*Attulit è Ponto ceraſi tria poma Lucullus:*
*Actia ſed præſtant cortice nigra ſuo.*

Ceraſa Aproniana.

*Apta gulæ, ſed non ſtomacho ceraſa apta maligno:*
*Aeſtiuo cernis ſi qua rubere die.*

Corna.

*Corna nocent ſtomacho bruma malè grata rigenti:*
*Si tuus illa uoret uenter, auarus erit.*

Mora.

*Alba prius, nunc rubra tuo de ſanguine Thyſbe:*
*Humida ſunt multùm, frigida mora minus.*

*

*Ille ſalubris erit, qui nigris prandia moris*
*Finiet: ante grauem quæ legerit arbore Solem.*

Sorba.

*Sorba ſumus, molles nimium durantia uentres:*
*Aptiùs hæc puero, quàm tibi poma dabis.*

*

*Quantum mite pirum ſorbis eſt dulcius ipſis:*
*Tantum uer formoſum hyeme eſt iucundius atra.*

Meſpila.

*Laxos ſorba tenent, & meſpila, & arbuta uentres:*
*Tàm lento ſiccant hæc tria poma gradu.*

Zizipha.

*Magna placent: tuſſim ſedant: ſtomachumq́; laceſſunt*
*Zizipha: quæ Syriæ ſunt celebrata ſolo.*

 Fra-

Fraga.

*Mollia fraga mihi, ſyluestri nata ſub umbra,*
*Frange puer: uino diluat illa coquus.*

Labruſca.

*Labruſca, incultæ uitis decus: acria pruna,*
*Vmbroſas inter, germina nata, rubos.*

Ficus.

*Dicemus ficus, quas ſcimus in arbore naſa:*
*Dicemus ficos Cæciliane tuos.*

*

*Indomitos ficus cogit iuga ferre iuuencos:*
*Ingenteſq; iras dedidiciſſe iubet.*

*

*Illa pecus Neptune tuum commendat: & illud*
*Quum uenit in menſas, gratius eſſe facit.*

*

*Naufragus, atq; diu uentis agitatus Vlyſſes,*
*Auxilium uitæ, non aliunde petit.*

Chia ficus.

*Chia ſeni ſimilis Baccho, quam Setia miſit:*
*Ipſa merum ſecum portat, & ipſa ſalem.*

Carica.

*Quid uult palma ſibi, rugoſaq; carica, Iane?*
*Quid data ſub niueo condita mella cado?*

Coctana.

*Hæc tibi quæ torta uenerunt condita mentha,*
*Si maiora forent, Coctana ficus erat.*

Vua.



Vua.

*Carpite de plenis pendentes uitibus uuas:*
*Præbeat Alcinoi poma benignus ager.*

*

*Bacche ſapit munus blandum: benè ueſcimur uua:*
*Cur ueſica tamen munere queſta tuo eſt?*

Vua immatura.

*Quid plenam fraudas uitem creſcentibus uuis?*
*Pomaq; crudeli uellis acerba manu?*

*

*Sponte fluent matura ſua: ſine creſcere nata:*
*Eſt precium paruæ non leue uita moræ.*

*

*Tempus ut extentis tumeat facit uua racemis:*
*Vixq; merum capiant grana, quot intus habet.*

*

*Quid miſeræ amplecti caram mihi profuit ulmum?*
*Tàm ſubitæ mortis ſi meus extat amor.*

Vua Præcia.

*Sunt auro ſimiles longis in uitibus uuæ:*
*Sunt & purpureæ: tibi & has ſeruamus, & illas.*

Vua Duracina.

*Non habilis cyathis, & inutilis uua Lyæo:*
*Sed non potanti me, tibi nectar ero.*

Vuæ penſiles.

*Iſtis uere nouo cum tota ueſcere bruma:*
*Si tamen è uiridi palmite ſuſtuleris.*

Vuæ

Vuæ Corinthiacæ.

*Non cuiuis homini contingit adire Corinthum:*
*Nata Corinthiaco ſed datur uua ſolo.*

Vuæ paſſæ.

*Paſſa iecur, ſtomachumq́; fouet: mihi prima Corinthi,*
*Iliacum tepido grata liquore leuat.*

Vuæ Apianæ.

*Finxit apis botris Apianis mellea nomen:*
*Tempus erit, quando uina falerna dabunt.*

Vua ſpinea.

*Sit labruſca tibi, ſit & immaturior uua:*
*Non tuta in ſpinis uuea gemma ſuis.*

Oliuæ.

*Si quæ Picenum ſenſerunt frigus oliuæ:*
*Prima ſimul, ſimus has menſa ſecunda capit.*

*

*Frigida Carſeolis, nec oliuis apta ferendis*
*Terra: ſed ad ſegetes ingenioſus ager.*

Capparis.

*Soluitur ardenti torpeſcens flore palatum*
*Capparis, & folio: cumq́; liene iecur.*

Nux.

*Poma cadunt menſis non interdicta ſecundis:*
*Et condit lectas parca colona nuces.*

Nux Baſilica.

*Mille nuces poteras dixiſſe: ſed unica iuglans*
*Nux præſtat: linguæ iam nocitura tuæ.*

Adde



*

*Adde piro potum: mox eſt medicina ueneno:*
*Vnica nux prodeſt: nocet altera: tertia mors eſt.*

Nux præneſtina.

*Iuglandes prodeſſe ferunt, nec paſcere multùm:*
*Paſcere auellanas plus, nocuiſſe minus.*

Nux Græca.

*Iliaco dulcis morbo, tabiq́; medetur:*
*Quàm benè diſtat? alit dulcis, amara necat.*

Nux Pinea.

*Poma ſumus Cybeles. procul hinc diſcede uiator:*
*Ne cadat in miſerum noſtra ruina caput.*

*

*Vt iuuat utilibus uentrem nux pinea ſuccis:*
*Sic ægrè uires exuit ipſa ſuas.*

Caſtanea.

*Eſt mihi dura caro: rugoſa ueſte uoluta:*
*Menſam orno, panis dum uice ſoluo famem.*

*

*Nec glandes Amarylli tuæ, nec amygdala deſunt.*
*Et ſua uelleribus nomina cera dedit.*

Piſtacia.

*Cui torpent iecur, & renes, piſtacia proſunt:*
*Nec minus hæc ſtomachi cœna ſenilis amat.*

Lauri baccæ.

*Laurea bacca, caput, mucoſaq́; pectora, lumbos,*
*Et iecoris clauſas radere docta uias.*

Iuni-

Iuniperi baccæ.

*Semianimem reuocat matricem bacca uirentis*
*Iuniperi: flammis uſta, uenena fugat.*

Thus.

*Thura dat Euphrates: dat felix India coſtum:*
*Auſtria dat rubri cognita fila croci.*

Piper.

*Cærea quæ patulo lucet ficedula lumbo,*
*Quum tibi fortè datur, ſi ſapis, adde piper.*

Zingiber.

*Seruator capitis, fluxus & gingiber udi*
*Edomitor: frigent ſi tibi membra, cape.*

Crocum.

*Si mala ſunt capiti, ſegnesq; cientia ſomnos:*
*Hæc iecur, hæc ſtomachus, triſteq; pectus amat.*

Caryophylla.

*Torrida fert Indus Caryophyla lucus: odores*
*Quò tibi ſint: miſcet cur coquus ergo cibis?*

Nux unguentaria.

*Commoda nux oculis, ſtomacho, iecoriq;, lieniq;:*
*India quam pulcro mittit odora ſolo.*

Macer.

*Gaudet epar ſpodio: mace cor: pulmoq; glycéa:*
*Cappare ſplē: cerebrū moſcho: ſtomachusq; galāga.*

Cinnamomum.

*Tàm benè rara ſuo miſcentur cinnama nardo:*
*Maßica Theſeis quàm benè uina fauis.*

Sac-



Saccarum.

*Aurea iactatis ſi cedere ſecula uobis:*
*Quid mirum? è cannis dulcia mella fluunt.*

*

*In folijs eſt ros, & dulcis arundinis humor:*
*Talia mella ferens India, ſpernit apes.*

*

*Cur iterum ſoluit, naſcente propagine mellis,*
*Eruta de Nili dulcis arundo uadis?*

Coriandrum.

*Emendat uiſum: ſtomachum confortat aniſum:*
*Sed mala luminibus ſunt coriandra tuis.*

Fœniculum.

*Fœniculum purgat ſtomachum, pellitq; uenenum:*
*Atq; fugat febres, & lumen reddit acutum.*

Cuminum.

*Pallebis nimiùm, nimium ſi fortè cuminum*
*Semper edas: cultu ſit niſi mite ſuo.*

Sal.

*Sal poni primum debet: primumq; reponi:*
*Non benè menſa tibi ponitur abſq; Sale.*

*

*Exornat regum menſas Sal: cœtera uincens*
*Condimenta: cibos Sal facit eſſe bonos.*

Salgama.

*Salgama non hoc ſunt, quod balſama: cedite odores:*
*Nec malé olere mihi, nec benè olere placet.*

Caro.

## Caro.

*Carne nihil meliùs nutrit: caro carne fouetur:*
*Carior eſt, ſi non cœnula carne caret.*

*

*Improbe detractor, quid dentem dente iuuabit*
*Rodere? carne opus eſt, ſi ſatur eſſe uelis?*

## Caro agnina, & ueruecina.

*Anniculum laudem, ſimul & ſine teſtibus agnum:*
*Mollior eſt hœdo: quum calet olla, uores.*

## Caro hœdina.

*Erepti pauidis lactentes matribus hœdi:*
*Et quæ ſit nuper nata capella, placent.*

*

*De Tyburtino ueniat pinguiſsimus agro*
*Hœdulus, & toto grege mollior, inſcius herbæ.*

## Caro ouilla.

*Semper ouilla caro ſucco peccante redundat:*
*Hircus olens itidem, capraq; crimen habent.*

## Caro uitulina.

*Laudatur uitulina magis: ſed ab ubere matris*
*Rapta modò: ueteris gratia nempe minor.*

## Caro bubula.

*De boue ſemper edat, qui bilem deſpicit atram:*
*Quò ſenior bos eſt: hoc caro peior erit.*

## Caro uaccina.

*Viſcera ſi quis edat uetulæ prærancida uaccæ:*
*Implicitus duris febribus eſſe ſolet.*

Caro



## Caro ferina.

*Concoctu nimiùm dura eſt ceruina: ſed illam*
*Conditum calidis ſumere ſæpe licet.*

## Caro leporina.

*Me lepus, hyberno caulem depaſtus in horto,*
*Quantumuis bilis terreat atra, capit.*

*

*Iupiter alme, datur lepori ſi ſexus uterque:*
*Nec fera, nec malus eſt: omnibus eſca placet.*

## Caro cuniculina.

*Me tener, è cœcis data præda cuniculus antris:*
*Me, tenerum quicquid fert noua ſylua, capit.*

## Caro aprugna.

*Vmber, & iligna nutritus glande, rotundas*
*Curuet aper lances, carnem uitantis inertem.*

## Caro ſuilla.

*Quis negat? utq; negat nemo: ſic prima ſuillis*
*Carnibus, & merita gloria laude datur.*

## Perna.

*Ceretana mihi fiet, uel maſſa licebit*
*De Menapis: lauti de petaſone uorent.*

## Petaſo.

*Muſteus eſt, propera: caros nec differ amicos:*
*Nam mihi cum uetulo ſit petaſone nihil.*

## Sumen.

*Eſſe putes nondum ſumen: ſic ubere largo*
*Effluit: & uiuo lacte papilla tumet.*

*

*Sumen, aprum, leporem, boletos, oſtrea, nullos*
*Mittis: habes nec cor Papile, nec genium.*

## Volua ſuilla.

*Te fortaſſe magis capiet de uirgine porca:*
*Me materna graui de ſue uolua capit.*

*

*Squallidus hortorum faſtidit oluſcula foſſor:*
*Qui meminit, calidæ ſapiat quid uolua popinæ.*

## Lardum.

*An ſic larda uocant: quòd ſint hæc arida latê?*
*An potius columen ſunt quòd edule laris?*

*

*Pingue tuis lardum guſtatur Iuno calendis:*
*(Viſcera ne doleant) farreq́; mixta faba.*

*

*Sicci terga ſuis rara pendentia crate*
*Moris erat quondam feſtis ſeruare diebus:*
*Et natalitium cognatis ponere lardum.*

## Botulus.

*Qui uenit botulus medio tibi tempore brumæ:*
*Saturni ſeptem uenerat ante dies.*

## Lucanicæ.

*Filia Picenæ uenio Lucanica porcæ:*
*Pultibus hinc niueis grata corona datur.*

To-



## Tomaculum.

*Porci candiduli tomacla raucus*
*Circumfert tepidis coquus popinis.*

## Apexabo.

*Sanguine dat menſæ farcimen apexabo plenum:*
*Mixta ſed aruinæ fruſtula pinguis erunt.*

## Faliſcus uenter.

*Saturnalia ſæpe lauta plebi*
*Dat Lucanica, uentre cum Faliſco.*

## Armus.

*Vinea ſubmittit capreas non ſemper edules:*
*Fœcundi leporis ſapiens ſectab itur armos.*

## Pulpa.

*Pulpa gulam, ſtomachumq́; iuuat, nec inutilis eſca:*
*Si pulpamentum ſit labor, atq; fames.*

## Caro aſſa, elixa, toſta, frixa.

*Lixa magis, quàm frixa placet caro, toſta, uel aſſa:*
*Quam crocus, aut piper, aut ius facit eſſe bonam.*

## Caro muriatica.

*Salſa minus dulci paſcit caro carne: malosq́;*
*Procreat humores ſæpe, facitq́; ſitim.*

## Caro infumata.

*Quam durat fumus, melius te ruſtice paſcit,*
*Sicca caro: ſanguis naſcitur unde niger.*

## Piſcis.

*Qui ſemel eſt læſus fallaci piſcis ab hamo:*
*Omnibus unca cibis æra ſubeſſe putat.*

Caro piſcium.

*Si piſces comedis, pingues fuge: pingue uenenum eſt:*
*Omnibus at prauus piſcibus humor ineſt.*

Salſamenta.

*Ignea uis ſalſis: qui non benè concoquit, illa*
*Non edat: & Bacchus ni ſit, & apta Ceres.*

Garum.

*Expirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo,*
*Accipe fœcoſum, munera cara, garum.*

Muria.

*Antipolitani, fateor, ſum filia Thynni:*
*Eſſem ſi ſcombri: non tibi miſſa forem.*

Teſtudo.

*Indica quæ duro cornu teſtudo rigeſcit:*
*Si coquitur, poſito tegmine, mollis erit.*

Oſtrea.

*Oſtrea Baianis cape non liuentia teſtis:*
*Quæ domino pueri non prohibente uorent.*

Cancer.

*Vere, uel autumno cancer, tunc corpore plenus,*
*Luna magis pleno quum rubet ore, ſapit.*

Gammarus.

*Tu quoq; fluminea paſcis benè gammare cauda:*
*Gratior æquorea, ſed mihi cancer aqua.*

Scorpio.

*Sume apium, porrum, coriandrum, ſemen anethi.*
*Cum ſale iunge oleum: ſcorpio coctus erit.*

Caro



Caro auium.

*Si facilis coctu, nutrit minus hæc caro corpus:*
*Paruibus aſt auibus gratia maior ineſt.*

Perdix.

*Ponitur Auſonijs auis hæc rariſsima menſis:*
*Hanc in lautorum mandere ſæpe ſoles.*

Turdus.

*Inter aues turdus, qui dixit, gloria prima:*
*Quercubus Epiri uerior ille fuit.*

Turdorum corona.

*Texta roſis fortaſſe tibi, uel diuite nardo:*
*At mihi de turdis facta corona placet.*

Merulus.

*Si mihi pinguis erit merulus: tua gloria cedat*
*Turde: ſalutiferas uult mea cœna dapes.*

Coturnix.

*Cur fuit hæc uolucris menſis ingrata uetuſtis?*
*Delectat procerum quæ modò ſola dapes.*

Paſſer.

*Sis procul à patinis fumantibus, improbe paſſer:*
*Plus te nanque cibo dulcis alauda placet.*

Alauda.

*Gratior autumni præpingues copia reddit:*
*Tunc humiles colles, & loca plana tenent.*

Pauo.

*Intulit hunc primus cœnis Hortenſius audax:*
*Ambiguum, lingua doctior, an'ne gula.*

 Ibis.

### Ibis. Ciconia. Grus.

*Ibis in antiquos, & ſæua ciconia luxus*
*Ibis: & pumilis grus nocitura tuis.*

### Cygnus.

*Qui primus docuit Phœbeos mandere cygnos:*
*Impius in Phœbum, Phœbicolasq́; fuit.*

### Anſer.

*Sæpe meas oneret menſas fluuiatilis anſer:*
*Pinguia dum pinguis membra ſagina grauet.*

### Anſerinum iecur.

*Aſpice, quàm tumeat magno iecur anſere maius:*
*Miratus dices: hoc rogo creuit ubi?*

*

*Quiſquis honoratum iecur auſus mandere primùm:*
*Hic Meſſalino doctior, arte gulæ.*

### Anas.

*Anſer, anasq́; placent: ſi det Germania munus:*
*Si ualeas ſtomacho: ruſtica dura nimis.*

### Mergus.

*Me proceres, me uulgus amant: caro pectore mollis*
*Eſt mihi: iam molli carne peremptus ero.*

### Columbæ cellares.

*Sint mihi cellaris conuiuia prima columbæ:*
*Quum fugit hæc nidos, auſa uolare, ſuos.*

### Turtur.

*Quum pinguis mihi urtur erit: lactuca ualebit:*
*Et cochleas tibi habe: perdere nolo famem.*

*Aureus*



*

*Aureus immodicis turtur te clunibus implet:*
*Ponitur in cauea mortua pica mihi.*

### Palumbus.

*Non ſapiat torquata minus: mihi cara palumbes:*
*Si modò fert mollis, non diuturna dapes.*

### Gallinæ.

*Non porcus, non cortis aues, non oua ſuperſunt:*
*Decreuêre greges, dum cadit agna frequens.*

### Capus.

*Maxima teſticulis poſitis tibi gloria galle:*
*Somno, aluo, Veneri gratus es, & Cybeli.*

### Pulli gallinacei.

*Qui cerebrum, Veneremq́; fouent: minus ignea pullis*
*Vis eſt: ſub ſicco ſint mihi cœna cane.*

*

*Sit puer, aut Cybeli pœnas pro nomine falſo*
*Pendat: & exacto ſit tibi teſte capus.*

### Partes animalium.

*Pectore anas, teneris alis gallina probatur:*
*Anſeris his tumidum, ſi ſapis, adde iecur.*

### Oculi. Cerebella.

*Quadrupedum præſtant oculi: cerebella uolucrum*
*Vda nimis, calidum ni piper addis, erunt.*

### Colla. Epar.

*Colla, iecurq́; calent: ſed colla potentiùs hument:*
*Gallina, anſer, anas mollius epar habent.*

 Cor.

### Cor. Lien. Iecur.

*Cor, iecur, atq; lien ſucci ſunt nulla ferentis*
*Commoda: ſed nigra corpora bile grauant.*

### Mammæ. Renes.

*Mammarum de glande ferunt præſtare ſuillas:*
*Exangues renes non citò poſſe coqui.*

### Pulmo.

*Concoctu facilis pulmo eſt, & laxior iſtis:*
*Parciùs at, nimio phlegmate plenus, alit.*

### Aures. Roſtra.

*Auribus, & roſtris, ſeu ſit fera, ſiue uolucris,*
*Dura caro ſatis eſt, nec ſatis apta coqui.*

### Lingua.

*Lingua parùm nutrit: quia laxa, et ſanguine caſſa eſt:*
*Siue ſit hæc auium, ſiue ſit illa boum.*

### Medulla ſpinæ.

*Spinalis cerebro ſimilis ſolet eſſe medulla:*
*Dulcia guſtanti plus tamen illa ſapit.*

### Inteſtina.

*Inteſtina ſolent humorem gignere craſſum:*
*Incondita magis: puluerulenta minus.*

### Oua.

*Oua Venus poſcit petulans, & Hymettia mella:*
*Quasq; tulit folio pinus acuta nuces.*

### Oua gallinaria.

*Veſcêris, ſed adhuc à matre calentibus ouis:*
*Optima gallinæ, Phaſiadesq; ferunt.*

Oua



### Oua anſerina.

*At quæ Tarpei cuſtos Iouis excubat anſer:*
*Quæq; parit, non ſunt optima, claudus anus.*

### Oua cacuminata.

*Longa quibus facies ouis erit: elige ſemper,*
*Vt ſucci melioris, & ut magis alba rotundis.*

### Ouum recens.

*Candida ſi croceos circumfluit unda uitellos:*
*Heſperius ſcombri temperet oua liquor.*

### Ouum requietum.

*Eructata malum dant allia ſemper odorem:*
*Putribus ex ouis peßimus exit odor.*

### Oua tremula.

*Oua magis uires augere trementia poſſunt:*
*Et meliùs ſtomacho ſorpta uenire ſolent.*

### Oua edura.

*Mollia pectus alunt, raucam ſedantia tußim:*
*At durata minùs, nec diuturna placent.*

### Oua frixa.

*Frixa meis nolim contingere plurima cœnis:*
*Ni ſoluant acri mixta falerna garo.*

### Lac.

*Lacte mero ueteres uſi narrantur, & herbis:*
*Sponte ſua ſi quas læta ferebat humus.*

*

*Mille mihi Siculis errant in montibus agnæ:*
*Lac mihi non æſtate nouum, non frigore deſit.*

R 5 Lac

Lac caprinum, ouillum, bubulum.

*Si lac dulce ſapit, ſubitò cur putret? aquoſum eſt.*
*Quod præſtat? capræ. pòſt? ouis. inde? bouis.*

Lac amygdalinum.

*Diues amygdalino menſam ſine lacte caueto:*
*Pauperibus medicam non tulit ullus opem.*

Coloſtrum.

*Surripuit paſtor quæ nondum ſtantibus hœdis:*
*De primo matrum lacte coloſtra damus.*

Coagulum.

*Tu mihi das preßi ſolidata coagula lactis:*
*Nos tibi ſub ceris mella liquata damus.*

Serum.

*Vbera plena premam: referat mihi caſeus æras*
*Dentq; uiam liquido uimina rara ſero.*

Butyrum.

*Lac dabit aërij tibi condimenta butyri:*
*Quod facit, ut ſapiant fercula cuncta gulæ.*

Caſeus.

*Si ſtomachus languet: uel ſi minus appetit: ille*
*Fit gratus ſtomacho, conciliatq; dapes.*

*

*Caſeus ante cibum confert, ſi defluat aluus:*
*Si conſtringatur, terminet ille dapes.*

Si



*

*Si nouus impinguat: ſiccat uetus: attamen ambo*
*Et capiti, & ſtomacho, pectoribusq; nocent.*

*

*Non Heraclitus, non Argus ſit, neq; Neſtor:*
*Sic bonus, & gratus caſeus eſſe ſolet.*

Caſeus Lunenſis.

*Caſeus Hetruſcæ ſignatus imagine Lunæ:*
*Præſtabit pueris prandia mille tuis.*

Caſeus Velabrenſis.

*Non quemcunq; focum, nec fumum caſeus omnem:*
*Sed Velabrenſem qui bibit, ille ſapit.*

Caſeus Veſtinus.

*Si ſine carne uoles ientacula ſumere frugi:*
*Hæc tibi Veſtino de grege maſſa uenit.*

Caſei Trebulani.

*Trebula nos genuit: commendat gratia duplex:*
*Siue leui flamma, ſiue domamur aqua.*

Caſeus Parmenſis.

*Parma mihi patria eſt, humili uicina Rauennæ:*
*Claudere regales gaudeo ritè dapes.*

Caſeus Bryenus.

*Quos mihi caſeolos mittis Franciſce Bryenos:*
*An redolent ripæ paſcua Matroniæ?*

Caſeus Glareanus.

*Conditis ſapidæ mihi ſunt ab odoribus herbæ:*
*Quales Helueticis Glarea condit agris.*

Ca-

## Caſeus Crucifer.

*Caſeus iſte, crucis ſignatus imagine ſanctæ:*
*Paganis menſis aptior eſſe ſolet.*

## Moretum.

*Non pudet herboſum lautis poſuiſſe moretum*
*In dominæ menſis: an ſua cauſſa ſubeſt?*

*

*Candidus elixæ miſcetur caſeus herbæ:*
*Cognoſcat priſcos Dea priſca cibos.*

## Mel.

*Ingratũ eſt, quicquid nimiũ eſt: ſic ſemper amarũ eſt,*
*(Vt uerbum uetus eſt) mel quoq; ſi nimium eſt.*

*

*Mella iubes hyblæa tibi, uel hymettia naſci:*
*Et thyma Cecropiæ Corſica ponis api.*

## Mel Atticum.

*Hoc tibi Theſei populatrix miſit Hymetti:*
*Pallados à ſyluis nobile nectar apis.*

## Faui Siculi.

*Quum dederis, Siculos medijs de collibus Hyblæ:*
*Cecropios dicas tu licet eſſe fauos.*

## Mulſum.

*Attica Nectareum turbatis mella falernum:*
*Miſceri decet hoc à Ganymede merum.*

## Cera.

*Collectam longæ ceram de flore cicutæ*
*Melle ſub infami Corſica miſit apis.*

Paſ-



## Paſſum.

*Gnoſia Minoæ genuit uindemia Cretæ*
*Hoc tibi: quod mulſum pauperis eſſe ſolet.*

## Defrutum.

*Perpetuum ſeruo, qualem dedit uua, ſaporem:*
*In condituris mella minoris eme.*

## Muſtum.

*Temporibus certis maturam ruſticus uuam*
*Colligit: & nudo ſub pede muſta fluunt.*

*

*Cur ſua confectæ claudunt iam brachia uites?*
*Et minus à muſtis præla frequenter eunt?*

*

*Impedit urinam muſtum, uentremq; moratur:*
*Nec ueteres calices, nec noua muſta placent.*

## Vinum.

*Me gignit tellus: rutilo Sol concoquit igne:*
*Mox uentroſa tegunt dolia: præla uomunt.*

*

*Do uires, adimoq;: & origo nominis à ui:*
*Ingenium exacuo: pectora ſoluo metu.*

*

*Vina parant animos, faciuntq; caloribus aptos:*
*Cura fugit multo, diluiturq; mero.*

*

*Nec Veneris, nec tu uini capiaris amore:*
*Vno nanq; modo uina, uenuſq; nocent.*

Com-

*

*Compedibus Venerem: uinclis conſtringe Lyæum:*
*Ne te muneribus lædat uterq; ſuis.*

*

*Vina ſitim ſedent: natis Venus alma creandis*
*Seruiat: hos fines tranſilijſſe nocet.*

*

*Ah ne quis mala uina bibat, de ſanguine nata:*
*Qui biberit, cædes exitiumq; bibet.*

*

*Immodicus lædit, ceu dira cicuta, lyæus:*
*Non facit ad longam crapula multa diem.*

*

*Quis Cererem, & Bacchũ, quis neſciat ocia cauſſam*
*Nequitiæ, & ſceleris tela Cupido tui?*

*

*Nec minor eſto modus Bacchi, nec largior æquo:*
*Hinc mœror mentes occupat: inde furor.*

Vinum dulce, & auſterum.

*Dulce nocet ſtomacho: quamuis alimenta miniſtret:*
*Conſuluit ſtomacho, ſi quis acerba bibit.*

Vinum edentulum.

*Qui properant, noua muſta bibunt: mihi fundat auitũ*
*Conſulibus priſcis condita teſta merum.*

*

*Vina placent, quorum patriam, titulumq; ſenectus*
*Deleuit multa ueteris fuligine teſtæ.*

Vi-



Vinum Picatum.

*Hæc de uitifera ueniſſe Picata Vienna*
*Ne dubites: miſit Romulus ipſe mihi.*

Vinum Albanum.

*Hoc de Cæſareis mitis uindemia cellis*
*Miſit: Iulæo quæ ſibi monte placet.*

*

*Mittis Iulææ uicinis collibus Albæ:*
*Nos Sinueſſanis uina relata iugis.*

Falernum uinum.

*De Sinueſſanis uenerunt Maßica prælis:*
*Condita quo quæris Conſule? nullus erat.*

Surrentinum.

*Surrentina bibis: nec myrrhina picta, nec aurum*
*Sume: dabunt calices hæc tibi uina ſuos.*

Setinum.

*Pendula Pontinos quæ ſpectat Setia campos:*
*Exigua uetulos miſit ab urbe cados.*

Fundanum.

*Hæc Fundana tulit felix autumnus Opimi:*
*Expreßit muſtum conſul, & ipſe bibit.*

Trifolium.

*Non ſum de primo, fateor, Trifolina Lyæo;*
*Inter uina tamen ſeptima uitis ero.*

Cæcubum.

*Cæcuba Fundanis generoſa coquuntur Amyclis;*
*Vitis & in media nigra palude uiret.*

Si-

Signinum.

*Potabis liquidum Signina morantia uentrem:*
*Ne nimiùm ſiſtant, ſit tibi parca ſitis.*

Mamertinum.

*Amphora Neſtorea tibi Mamertina ſenecta*
*Si detur: quod uis, nomen habere potes.*

Tarraconenſe.

*Tarraco Campano tantùm ceſſura Lyæo:*
*Hæc genuit Thuſcis æmula uina cadis.*

Nomentanum.

*Nomentana meum tibi dat uindemia Bacchum:*
*Si te Quintus amat, commodiora bibes.*

Spoletinum.

*De Spoletinis quæ ſunt carioſa lagenis*
*Malueris: quàm ſi muſta falerna bibas.*

Pelignum.

*Maßica Peligni mittunt turbata coloni:*
*Non tu, libertus ſed bibat illa tuus.*

Maſsilianum.

*Quum tua centenos expugnet ſportula ciues:*
*Fumea Maßiliæ ponere uina potes.*

Ceretanum.

*Ceretana Nepos ponat: Setina putabis:*
*Nos ponit turbæ: cum tribus illa bibet.*

Tarentinum.

*Nobilis & lanis, & felix uitibus Aulon:*
*Det precioſa tibi uellera: uina mihi.*





Volturenum.

*Hybernos celebres Diuos, & feſta Decembris:*
*De Vulturena quod tibi caute uenit.*

Griantinum.

*Hoc madeat Pomona mero: quod amœna Grianti*
*Rura ferunt: & quod clara Varena dedit.*

Creticum.

*Vina nouum nectar Aruiſia: grata Tonanti*
*Vbera quæ fuimus, pocula facta ſumus.*

*

*Grata alimenta Ioui fueramus priſca tenello:*
*Nunc tibi miſſa, Iouis qui regis imperium.*

Neccaricum.

*An, cui nectareis dat nomen Neccarus undis,*
*Miſcetur ſuperis à Ganymede merum?*

Francicum.

*Francica uina placent celebri mihi nata ſub urbe:*
*Quam uetus à muſto nomen habere ferunt.*

Rhenanum.

*Frugibus eſt Rheni felix, & uitibus ora:*
*Corniger hîc habitat Liber, & alma Ceres.*

Baccaricum.

*Baccare frondentes quod Bacchi creſcit ad aras*
*Dulce merum, podagræ non ſinit eſſe locum.*

Boiaricum.

*Aſt immaturos fert Boia terra racemos:*
*Commendans miſeris triſtia uina cadis.*

## Vinum Helenites.

*Si bibitur, mentes hilarat tuus Oebali Bacchus:*
*Conciliat ſomnos, mœſtitiamq; leuat.*

## Vinum ſulfuratum.

*Qui bibit ingrato fœdatum ſulfure Bacchum:*
*Præparat ad diri ſe Phlegethontis aquas.*

## Acetum.

*Amphora Niliaci non ſit tibi uilis aceti:*
*Eſſet quum uinum: uilior illa fuit.*

*

*Nec cibus ipſe iuuat, morſu fraudatus aceti:*
*Nec grata eſt facies, cui gelaſinus abeſt.*

*

*In melle ſunt linguæ ſitæ ueſtræ, atq; orationes:*
*Corda in felle ſunt ſita, atq; acerbo aceto.*

## Vappa.

*Eſt & uappa cado nuper diffuſa picato:*
*Eſt ſtrepitans rauco murmure riuus aquæ.*

## Vinum dilutum.

*Ebria ne titubent dubio ueſtigia greſſu:*
*Temperet appoſitum lympha refuſa merum.*

*

*Quadrantem addat aquæ: calicem ſumpſiſſe falerni*
*Qui cupit, hoc ſumi pocula more iuuat.*

*

*Igniuomo Bacchus ſaliens è flumine: Nymphis*
*Abluitur liquidis puluerulentus aquis.*

Cere.



## Cereuiſia.

*Qui Peluſiaci præfert tibi pocula Zythi*
*Bacche: nec hinc cerebrum, nec caput eſſe puto.*

*

*Vina leuant animos: Cereris iam cocta ualete:*
*Sæpius hæc linquunt ſemina fœda lepræ.*

*

*Nomine ſum uini non digna: uicem tamen huius*
*Impleo: dum cerebri uictrix percello cauernas.*

*

*Vinum Sol radians: me Mulciber excoquit: amne*
*Gignor: alitq; Ceres madefacti farris aceruis.*

## Oleum.

*Pingue oleum mollit calidis humoribus aluum:*
*Pinguia quod fatuis fert alimenta cibis.*

## Oleum Venafranum.

*Hoc tibi Campani ſudauit bacca Venafri:*
*Vnguentum quoties ſumis, & iſtud olet.*

## Mithridaticum.

*Profecit poto Mithridates ſæpe ueneno:*
*Toxica ne poſſent ſæua nocere ſibi.*

*

*Bis denûm rutæ folium, ſalis & breue granum,*
*Iuglandesq; duas, terno cum corpore ficus.*

## Theriaca.

*Omnes uiſceribus collectos diſſipo morbos:*
*Aduerſus uirus ſum medicina potens.*

 Do-

### Dodra.

*Dodra ex dodrante eſt: ſic collige, ius, aqua, uinum,*
*Sal, oleum, panis, mel, piper, herba, nouem.*

*

*Dodra uocor. quæ cauſſa? nouē ſpecies gero. quæ ſunt?*
*Ius, aqua, mel, uinum, panis, piper, herba, oleum, ſal.*

### Vnguentum.

*Vnguentum hæredi nunquam, nec uina relinquas:*
*Ille habeat numos: hæc tibi tota dato.*

### Corona roſea.

*Dat feſtinatas Cæſar tibi bruma coronas:*
*Quondam Veris erant: nunc tua facta roſa eſt.*

### Penus clauſa.

*Claudite iam riuos, pueri: ſat prata biberunt:*
*Cura replet uacuam quotidiana penum.*

*

*Deficiente cibo, moritur miſerabile corpus:*
*Mens moritur, uerbo deficiente Dei.*

FINIS.

# INDEX IN PARADISVM POETICVM, SECVNDVM ORDINEM LITERARVM, *& numerum paginarum.*

## ARBORVM NOMINA.


A

Abies 26
Acacia 32
Acer 29
Aeſculus 24
Agallochum 34
Alnus 27
Amomum 34
Amygdalus 17
Anagyris 30
Aquifolia 18
Arbutus. ibid.
Aſpalathus 34

B

Balſamum 34
Bdellium 32
Betula 28
Brya 32
Buxus 25

C

Caprificus 12
Cardamomum 35
Carpinus 29
Caryophyllum 35
Caſſia. ibid.
Caſtanea 23
Cedrus 25
Ceraſus 16
Cerrus 24
Cinnamomum 34
Ciſtus 32
Coccus. ibid.
Colutea 25
Colytea. ibid.
Cornus 17
Corylus 22
Coſtus 35
Creſpinus 18
Cupreſſus 25
Cynocrambe 30
Cytiſus. ibid.

D

Dumus 31

E
Ebenus 26
Ebulus 19
Erica 29
F
Fagus 23
Ficus 11
Aegyptia 12
Africana. ibid.
Cecropina. ibid.
Chia 11
Gallica 12
Indica 11
Picena. ibid.
Romula 12
Fraxinus 27
G
Geniſta 30
Goſſipion 32
H
Halimus 31
Hedera 21
I
Ilex 23
Iuniperus 22
L
Labruſca 18
Ladanum 32
Larix 26
Laurus 20
Alexandrina 21
Lentiſcus 19
Liguſtrum 20
Lotus 19
Lycium 32
M
Malus 14
Armeniaca 15
Cydonia. ibid.
Medica. ibid.
Perſica. ibid.
Punica. ibid.
Mariſca 12
Meſpilus 17
Morus. ibid.
alba. ibid.
rubra. ibid.
Myrica 29
Myrrha 33
Myrtus 21
N
Nux 22
Nux iuglans. ibid.
O
Olea 13
Oleaſter. ibid.
Onagra 29
Ornus 27

Paliurus



P
Paliurus 31
Palma 14
Perſea 20
Phillyræa. ibid.
Picea 27
Pinaſter. ibid.
Pinus 23
Piper 35
Piraſter 16
Pirus. ibid.
Piſtacium 22
Platanus 25
Pomaſter 16
Pomona Dea 36
Populus 27
alba 28
nigra. ibid.
Prunus 16
Damaſcena. ibid.
Q
Quercus 24
R
Rhamnus 31
Rhododaphne 21
Rhus 33
Ribes duplex 19
Ricinus 32
Robur 24
Romula 12
Rubus. ibid.
Rubus canis 31
Rubus Idæus. ibi.
Ruſcus 30
S
Sabina 26
Sal Indus 35
Salix 29
Sambucus 19
Santalum 34
Siler 30
Siliqua Græca 22
Sorbus 17
Spina acuta 18
Spina appendix. ibid.
Spina uua. ibid.
Spinus 16
Staphylodendron 18
Styrax 19
Suber 24
T
Taxus 29
Terebinthus 19
Thus 33
Tilia 28
Tuber 22

V
Viburnum 33
Viſcum 26
Vitex 30
Vitis 14
Vlmus 28
Z
Ziziphus 16

FRVMENTORVM, OLERVM, LEGVminum, herbarumq; nomina.

A
ABrotanum 60
Abſynthium. ibid.
Ponticum 61
Acanthus 73
Accipitrina 92
Achillæa 55
Aconitum 71
Acorus 47
Adiantum 67
Aegilops, Feſtuca 80
Africanus flos. 43
Agallochum 34
Agaricum 100
Ageratum 50
Agrimonia, Eupatoriū 66
Alcea 43
Alga, Fucus marinus 81
Aliſma, Alcea 43
Allium 98
Aloë 97
Alſine 65
Althea, Hibiſcus 57
Alypum 68
Alyſſum 54
Amaracus 50
Amaranthus 44
Ambroſia 60
Ambubeia, Aphace 80
Amellus 50
Anagallis 59
Anagyris 63
Anchuſa 54
Androſaces 80
Anemone, Adonis 49
Anethum 91
Aniſum. ibid.
Anthemis, Chamæmelon 49
Antirrhinon 44
Aparine 67
Aphace 80
Apiaſtrum, Meliſſophyllon 53
Apios 69
Apium 92
grande. ibid.
Petroſelinum. ibi.
Apollinaris 70
Aquileia 43
Arabis 94
Argentina 67
Ariſarum 89
Ariſtolochia 95
Armenius flos 43
Artemiſia 60
Arum 89
Aſarum 51
Aſclepias 60
Aſparagus 86
Aſphodelus 46
Aſpleuum 62
Aſter atticus 50
Aſtragalus 80
Atractylis 62
Atractylis hirſuta. ibid.
Atriplex 84
Auena 77
B
Baccaris 52
Baticula 87
Bellis 49
Beta 84
Betonica 57
Blattaria 67
Blitum 84
Boleti 100
Botrys 59
Braſſica criſpa, capitata 84
Britannica 57
Bugloſſum ſylueſtre, Echium 59
Bulbus 99
Bulbus eſculentus. ibid.
Buphthalmum 49
C
Calamintha 52
Calamus odoratus 82
Caltha 42
Canna 83
Campanula 42
Cannabis 79
Capparis 97
Cardiaca 55
Carduus 73
benedictus, Atractylis, hirſuta 62
ſatiuus 90
Carum 91

Cauliculi 84
Caſia 43
Caſſutha 80
Catanance 70
Centaureum 90
Cepa 98
Cepæa 63
Chamæcyſſus 56
Chamædrys. ibid.
Chamæleon 73
Chamæmelon, Anthemis 49
Chamæpitys 56
Chelidonium 59
Chondrilla 87
Chryſanthemon 49
Cicer 78
Cicercula. ibid.
Cichoreum 87
Cicuta 72
Circæa 61
Citrullus 97
Clematis 56
Clinopodium 50
Clymenus 55
Colchicum 72
Colocynthis 98
Conſolida 55
Conſtantinopolitanus
flos 43
Conyza 61
Coriandrum 91
Coronopus 88
Corruda 86
Crambe 84
Crithmum 87
Crocus 47 94
ſylueſtris. ibid.
Cucumis 97
ſylueſtris, ibid.
Cucurbita 97
Cuminum 91
ſylueſtre, ibid.
Cyanus 42
Cyclaminus 89
Cynara 90
Cynocrambe 83
Cynogloſſum 59
Cynorrhodos 40
Cyperus 82
Cyperus Babylonicus, Galanga. ibid.

D

Daucus 85
Daucus Creticus. ibid.
Delphinium 42
Dictamnum 58
Digitalis 42

Dipſa.



Dipſacus 74
Dracunculus 89

E

Echium 59
Elaphoboſcus 61
Epimedium 55
Equiſetum 65
Erigeron 89
Erinus 63
Eruca 88
Eruum 78
Eryngium 73
Eryſimon 79
Eupatorium, Agrimonia 66
Euphorbium. ibid.
Euphraſia 54

F

Faba 77
Faba Aegyptia. ibid.
Far 76
Ferulæ 68
Feſtuca, Aegilops 80
Filix 71
Flora 74
Flos Africanus 43
Armenius. ibid.
Caryophylleus, ibid.
Conſtantinopolitanus. ibid.
Flos Solis 44
Fœniculum Græcum 79
Fragaria 63
Fucus 82
Fumaria 64
Fungi 100
Fungus Lycurius, ibid.

G

Galeopſis 70
Galium 66
Gentiana 94
Geranium 59
Gingiber 94
Gingidium 88
Gladiolus 47
Gladiolus paluſtris. ibid.
Glaux 68
Gnaphalium 73
Gramen 82

H

Harundo 83
Hedera Helix 95
Hediſarum 80
Helenium 95
Heliotropium 64
Helleborus, Veratrum 72
Helychryſum 49

Helxia

Helxine 65
Parietaria 66
Hemerocallis 45
Hepatica 66
Hippogloſſum 59
Hordeum 76
Horminum 55
Hortuli laus 230
Hyacinthus 45
Hypecoum 58
Hypericum. ibid.
Hyſſopus. ibid.

I

Iacea 41
Iberis 93
Imperatoria 61
Inguinaria, Aſter atticus 50
Intybus 87
Iris 46
Iris ſylueſtris 47
Iſatis 62
Iuncus 82
Iuncus odoratus. ibid.

L

Labruſca 90
Lactuca 86
Lactucella 88
Lagopus 82
Lampſana 86
Lappa maior 72
minor. ibid.
Laſerpitium, Silphium 68
Lath ris 69
Lauer 88
Lens 78
Lens paluſtris 81
Leontopetalum 62
Leucacantha 73
Liguſticum 91
Lilium 44
Lilium album. ibid.
conuallium 45
purpureum. ibid.
ſylueſtre. ibid.
Limonium 85
Linaria 44
Linum 79
Litoſpermum 62
Lolium 79
Lonchitis 63
Lotus Aegyptia 65
Lupinus 78
Lupinus ſylueſtris 79
Lupulus 83
Lyſimachium 55
Lychnis 42


Ma-




M

Malabathrum 81
Malua 87
Mandragora 71
Marrubium 54
nigrum. ibid.
Melanthium 42
ſylueſtre. ibid.
Melilotus 61
Meliſſophyllum 53
Mentha 52
Menthaſtrum. ibid.
Meon 91
Mercurialis 71
Milium 77
Millefolium 67
Moly 57
Morion, Mandragora 71
Muſcus arboreus 81
marinus. ibid.
Myrrhis, Angelica 56

N

Napi 85
Narciſſus 47
Nardus 51
Celtica. ibid.
Indica. ibid.
Italica. ibid.
Naſturtium 87
Nymphæa 81

O

Ocimaſtrum 53
Ocimum. ibid.
Oenanthe 59
Oliua 97
Olus 83
Onobrychis 80
Ononis 73
Onoſma 62
Origanum 52
Oriza 77
Ornithogalon 47
Oxalis, Rumex 86

P

Pæonia 44
Panacea 60
Panicum 77
Papauer 99
corniculatū. ibid.
erraticum. ibid.
Paronychia 66
Partheniū, Matricaria 57
Paſtinaca erratica 85
ſylueſtris. ibid.
Peplus 69
Pepon 98
Perſicaria 94
Petaſites 72


Pen-

Peucedanum 62
Phaſelus 77
Phœnix 80
Phyllitis. ibid.
Piloſella 65
Pimpinella 64
Piper aquaticum 93
Piperitis. ibid.
Piſa 77
Pithyuſa 69
Plantago 63
Polium 53
Polygonum 55
Polygonatum, Sigillum Salomonis. ibid.
Polypodium 84
Porum 98
capitatum. ibid.
ſectiuum. ibid.
Potentilla 64
Portulaca 93
Ptarmica 93
Pulegium 52
Pulicaria, Pſyllium. 71
Pulmonaria 66
Pyrethrum 86

Q

Quinquefolium 64

R

Radicula 93
Radix 95
Barbarica. ibid.
Francica. ibid.
Idæa. ibid.
Pontica. ibid.
Rhodia. ibid.
Ranunculus 93
Raphanus maior 85
Rapum. ibid.
Rhopalos 70
Roſa 38
alba 39
lutea 40
Mileſia. ibid.
purpurea. ibid.
ſylueſtris. ibid.
Roſetum 38
Roſmaris 51
Rubia 62
Rumex, oxatis, Lapathum 86
Ruta 58

S

Saluia 58
Saponaria 43
Satyrion 48
Saxifraga 54
Sca-



Scabioſa 63
Scandix 88
Scandulaca, ibid.
Scilla 99
Scorpius 65
Scorpioides. ibid.
Scrofularia 67
Sedum, Semperuiuum. ibid.
Sena 87
Serpillum 52
Seſamum 79
Seſeli 91
Sideritis 54
Sinapi 93
Siſer 85
Siſymbrium 54
Sium, Lauer 88
Smilax 92
Smyrnium. ibid.
Solanum 71
Sphondylium 61
Spina alba 73
Staphys 69
Stellaria 67
Stœbe 63
Stœchas 50
Striges 87
Struthium Radicula 93

T

Teucrium 56
Thapſia 69
Thlaſpidion 93
Thymbra 51
Thymum. ibid.
Tithymallus 69
Tormentella 64
Tragacantha 73
Tragium 69
Tragopogo 48
Tribulus 83
Trifolium 61
Tripolion 69
Triticum 76
Tubera 100
Tuſſilago 61
Typha 82

V

Vacinium 41
Valeriana 96
Veratrum album 72
nigrum. ibid.
Verbaſcum 67
Verbenaca 57
Veronica. ibid.
Vicia 78
Viola

Viola 40
alba 41
Calathiana 42
lutea 41
matronalis. ibid.
purpurea. ibid.
Viticella 89
Vitis alba. ibid.
nigra. ibid.
Vitis ſylueſtris. ibid.
Vlua 81
Vmbilicus Veneris 66
Vrtica 70
X
Xyris 47
Z
Zadura 94
Zea 76

## ANIMALIVM QVADRVPEDVM *nomina.*

A
AGna 121
Agnus. ibid.
Alce 105
Animalium ætas 227
metamorphoſis 219
Aper 105
Aries 121
Aſinus 129
Aſturco 127
B
Biſon 117
Bos. ibid.
arator. ibid.
Bos lactaria 119
Bucula Myronis 120
Bupalus 117
Bucephalus. ibid.
Burdo 130
C
Caballus 127
Camelopardalis 129
Camelus 128
Canis 123
Callicus 125
ædituus. ibid.
Britannicus. ibid.
pecuarius 124
uertagus 125
uenaticus. ibid.
Cantherius 127
Caper 122

Capra



Capra 122
Caprea 107
Capreolus. ibid.
Caſtor, Fiber 115
Catus 117
Cercopithecus 112
Cerua 106
Ceruus 105
Cuniculus 108
Cynocephalus 112
D
Dama 108
E
Echinus, Erinaceus 116
Elephas 103
Equa 128
Equuleus. ibid.
Equus 126
refractarius 127
F
Fiber 115
Forda 118
Furo 114
G
Glis 113
H
Hinnulus 107
Hinnus 130
Hircus [illegible]
Hiſtrix 116
Hœdus 122
Hyæna 126
I
Ibex, Capricornus 108
Ichneumon, Mus Indicus 115
Ictis 114
Iuuenca 119
Iuuencus. ibid.
L
Laliſio 129
Leæna 102
Leo. ibid.
Lepus 108
Lupa 110
Lupus. ibid.
Lutra 115
Lynx 110
M
Maialis 123
Mannus 128
Martes 114
Melis 115
Moloſſus 124
Monoceros, Aſinus Indicus 104
Mulæ Gallicæ 131
Mulæ pumilæ 130

T Mulus.

Mulus 130
Mus 113
Alpinus 114
araneus 113
Indicus, Ichneumon 115
Noricus 114
Scythicus 114
Varius. ibid.
Muſcus 115
Muſtela 113

N

Nitedula 113

O

Onager 129
Oryx 111
Ouis 120

P

Pan 131
Pardalus 103
Pardus. ibid.
Porca 123
Porcellus. ibid.
Putorius 115

R

Rangifer 107
Rhinoceros 104

S

Satyrus 112
Sciurus 116
Scrofa 123
Simius 111
Sorex 113
Subulo 107
Sus 122

T

Talpa 115
Taura 118
Taurus. ibid.
Tigris 103
Tragelaphus 107

V

Vacca 118
Veredus 128
Verres 123
Veruex 121
Vitulus 119
Viuerra, Ictis 114
Vrſa 109
Vrſus. ibid.
Vrus 117
Vulpes 111





AVIVM NOMINA.

A

Acanthis 157
Accipiter 134
fringillarius 135
palumbarius. ibid.
rubetarius. ibid.
Acredula 159
Alauda 160
Alcedo 151
Anas 167
altilis. ibid.
Anſer. ibid.
ferus. ibid.
Apus Indica, Paradiſea 146
Aquila 133
anataria, Morphnos 134
hinnularia, Pygargus. ibid.
leporaria, Melenaëtos. ibid.
marina, Haliaeetus. ibid.
mōtana, Percnopterus ibid.
Ardea 154
Stellaris, Aſterias. ibid.
Attagen alpinus 164
Attagenæ. ibid.
Auriuittis 158

B

Bubo 138
Buteo 135

C

Canaria 152
Capra 151
Capus 163
Carduelis 127
Caſpia 153
Caſsita 160
Celeus 153
Ciconia 147
Cinclus 157
Ceruia 153
Charadrius 154
Chloreus 153
Chloris 157
Cinnamolgus 153
Ciris 136
Circus 135
Citrinella 158

Columba 165
Liuia 166
Columbini. ibid.
Coracias 142
Cornix 141
cærulea 142
marina. ibid.
Coruus 140
ſyluaticus 141
aquaticus. ibid.
Coturnix 161
Crex. ibid.
Cuculus 158
Curruca. ibid.
Cymindis 135

E

Erithacus, Rubecula 160

F

Falcinellus 154
Falco 136
ſacer. ibid.
Ficedula 160
Florus 153
Fringilla 157
Fulica 167

G

Galbula 152
Gallus 161
Indicus. 163
Medicus. ibid.
montanus. ibid.
Gallina 162
altilis. ibid.
cohortalis. ibid.
matrix. ibid.
ruſtica 163
Garrulus 143
Graculus 142
Grillus 156
Grus 146
Gryps 149

H

Harpyiæ 138
Hirundo 154
domeſtica 155
riparia. ibid.

I

Ibis 149
Iſpida 144
Iynx, Torquilla 140

L

Lagopus 165
Larus 173
Linaria 257
Loxias 154
Luſcinia 158







M

Meleagris 163
Memnonides 168
Mergus. ibid.
Merops 144
Merula 145
torquata. ibid.
Miluus 137
Monedula 142
Motacilla 157

N

Niſus 136
Noctua 139
Nucifraga 142
Numenius 164
Numidicæ 163
Nycti corax 140

O

Onocrotalus 153
Oriolus, Picus aureus 144
Ortygometra 161
Otis, Tarda 165
Otus 139

P

Palumbus 166
Parra 137
Pardalus 151
Parus 160
Paſſer 156
muſcatus 156
ſolitarius. ibid.
ſtultus. ibid.
torquatus. ibid.
Troglodytes. ibid.
Pauo 151
Pelicanus 148
Perdix 164
Græca 165
Phaſianus 164
Phœnicopterus 150
Phœnix. ibid.
Philomelæ elegia 227
Pica 142
uaria 143
Picus. ibid.
aureus, oriolus 144
cinereus 143
niger. ibid.
uiridis. ibid.
Porphyrio 151
Prunella 157
Pſittacus 146
Pulli gallinacei 162
Pumiliones. ibid.
Pyrrhocorax 142

Q

Querquedula 167

R

Regulus 159 (160

Rubicilla, Phœnicurus

Ruſticula 165

minor, Gallinago. ibid.

S

Sirenes 168

Seleucis 150

Struthio 150

Sturnus 145

Stymphalides 169

Stryges 138

T

Tarda, Otis 165

Taurus 151

Tetraon, Gallus monta-nus 161

Tinnunculus 135

Torquilla, Iynx 140

Tragopanas 153

Tryngas 165

Turdus 145

Iliacus. ibid.

maior. ibid.

minor. ibid.

Turtur 166

V

Veſpertilio 139

Vlula. ibid.

Vpupa 144

Vulpanſer 167

Vultur 137

Vultur Alpinus. ibid.


PISCIVM NOMINA.


A

ACipenſer 179

Aculeatus 188

Acus 187

Admos 178

Adonis. ibid.

Aetnæus 183

Agenus 181

Alauſa 182

Albornus 187

Anguilla 189

Antacæus 179

Anthia 190

Aper. ibid.

Apua 178

Aquila 176

Araneus, Draco 178

Aries. ibid.

Aſellus 177

Aſilus 182

Aſta-





Aſtacus 190

Attilus 177

Aurata 186

B

Barbus 187

Boops 177

Bos 176

C

Callionymus 178

Cancer 191

pagurus. ibid.

Canicula, Galeus 175

Cantharus 183

Capeto, Cephalus 182

Carcharias, Lamia 175

Carpio 186

Cetus 172

Britannicus. ibid.

Chalcis 181

Channa 183

Chromis 175

Citharus 183

Clupea, Alauſa 182

Cochlea 193

Concha. ibid.

Conchylion. ibid.

Congrus 188

Coracinus 174

Cordyla 189

Cyprinus 185

Cyprinus latus. ibid.

D

Dactylus 184

Delphinus 171

Dentex 178

Draco. ibid.

E

Echeneis, Remora 180

Echinus 176

Elops 179

Erythrinus. ibid.

Eſox. ibid.

F

Faber, Gallus marinus 190

Fundalus 187

G

Galeus 175

Gladius, Xipha 174

Glaucus 175. 195

Gobius 187

H

Halec 182

Halieuticum Ouidij 222

Harengus 182

Hepatus 185

Hip-

Hippopotamus 173
Hippurus 175
Hirundo 179
Homo marinus, Monachus, Epiſcopus 173

I

Iulis 184

L

Lacertus 181
Lamia 175
Latus. ibid.
Lepras 190
Lepus 175
Leuciſcus 187
Libella, Zygæna 174
Limax 193
Liparis 190
Locuſta 194
Lolligo. Ibid.
Lucerna 184
Lucius 188
Lupus. ibid.
Lyra 180

M

Mæna 178
Melanurus 180
Mermylus 182
Merula 183
Miluus 178
Mugil 188
Mullus 182
Murena 188
Muſtella, ibid.

N

Naſus 187
Nautilus 180
Nereides 173
Nouacula 190

O

Orca 172
Orphus 180
Oſtrea 192

P

Pagrus 177
Paſtinaca 176
Peloris 192
Perca marina 185
Perceus. ibid.
Phocas 172
Pholis 184
Phoxinus 189
Phycis 181
Phyſalus 172
Polypus 194
Pompilus 181
Preſtis 172
Purpura 193





R

Raia 177
Rana 203
calamites 204
fluuiatilis. ibid.
piſcatrix. ibid.
Rhombus 177
Rubellio, Erythrinus 179
Rutilus 184

S

Salar 186
Salpa, Aſellus arefactus 177
Sarda 181
Sargus 184
Scarus 185
Scolopendra 195
Scombrus 183
Scorpius 191
marinus 181
Sepia 194
Serra 172
Silurus 174
Simia 176
Sirenes 173
Sparus 184
Spongia 194
Squatina 177
Squillæ 192
Sphyræna, Sudis 189
Stella 195
Sturio 179

T

Tænia 190
Thryſſa 182
Therſio 172
Thymallus 186
Thynnus 174
Tinca 189
Torpedo 194
Triſius 188
Triton 173
Trutta 186
Turdus 183

V

Vmbra 174
Vrtica 195
Vulpes 176

X

Xiphias 174

Z

Zygæna 174

## SERPENTVM, ET ANIMALIVM QVOrundam uenenatorum nomina.

A

Amphiſbæna 200
Aſpis. ibid.

B

Baſiliſcus 200
Bufo 204

C

Cæcilia 199
Cenchrus 198
Ceraſtes. ibid.
Chamæleon 201
Climæra 201
Coluber 197
Crocodilus 202

D

Dipſas 199
Draco 200
Dryinus 198

H

Hydra 201
Hydrus, Natrix 198
Hæmorrhois 199

I

Iaculus, Acontias 199

L

Lacertus 203
Chalcidicus. ibid.
uiridis. ibid.

P

Phalangium 204

S

Salamandra 202
Scincus 203
Sepedon 199
Serpens 197
Stellio 203
Sphynx 201

V

Vipera. 198

IN-



## INSECTORVM, ET VERMIVM nomina.

A

Acarus 216
Apis 205
Araneus 213
Aſellus 217
Aſilus, oeſtrum 207

B

Blatta 217
Bombyx 213
Bupreſtis 208

C

Campe 216
Cantharis 208
Cicada 210
Cicindela 209
Cimex 215
Coſſus 217
Crabro 207
Culex 210
Curculio 217

E

Eruca 216

F

Formica 212
Fucus 206

G

Grillus 215

H

Hirudo 216

L

Locuſta 211
Lumbricus 216
terræ. ibid.
Lytta. ibid.

M

Midas 217
Millepeda. ibid.
Mordella 208
Muſca 209

P

Papilio 208
Pediculus 215
Pulex. ibid.
Pyrallis 210

R

Ricinus 216

S

Scarabæus Lucanicus 208
pilularius. ibid.
Solpuga 213

T

Teredo 217

T 6 Ter-

Termus 217
Tinca. ibid.
Tipula 215

V

Veſpa 207
Voluox. 215

IN PENVM POETICVM INDEX.

A

Acetum 274
Alauda 261
Alica 239
Allium 244
Anas 262
Annona 235
Anſer 262
Anſerinum iecur. ibid.
Apexabo 259
Armus. ibid.
Artocrea 242
Aures 264

B

Baccæ iuniperi 254
lauri 253
Beta 243
Boleti 244
Botulus 258
Braſſica 242
Bulbus 244
Butyrum 266

C

Cancer 260
Capus 263
Capparis 252
Cariola 243
Caro 256
agnina. ibid.
aprugna 257
auium 261
bubula 256
cuniculina 257
ferina. ibid.
hœdina 256
infumata 259
leporina 257
muriatica 259
ouilla 256
piſcium 260
ſuilla 257
uaccina 256
Veruecina. ibid.
uitulina. ibid.

Caro



Caro aſſa, elixa, toſta, frixa 259
Caryophylla 254
Caſeus 266
Bryenus 267
Crucifer 268
Glareanus 267
Lunenſis. ibid.
Parmenſis. ibid.
Trebulanus. ibid.
Velabrenſis. ibid.
Veſtinus. ibid.
Caſtanea 253
Caulis 242
Cepa 244
Cera 268
Ceraſa 248
Actia 249
Aproniana. ibid.
Cerebella animalium 263
Cereuiſia 275
Chariſtia 236
Chia ficus 250
Chondrus 238
Cibus 235
Ciconia 262
Cinnama 254
Coctana 250
Cœna 236
Colla animalium 263
Colaſtrum 266
Columbæ cellares 262
Comeſſatio 236
Conchis faba 240
Copta Rhodia. ibid.
Cor animalium 264
Coriandrum 255
Corna 249
Corona roſea 276
Coturnix 261
Crambe 242
Crocum 254
Cruſtulum 239
Cuminum 255
Cupediæ 236
Cygnus 262

D

Diarium 235
Defrutum 269
Dodra 276

E

Epar 263
Epulum 236

F

Faliſcus uenter 259
Far 238
Faui Siculi 268
Ficus 250

Fer-

Fœniculum 255
Friga 250
Fungi 245

G

Gallina 263
Gammarus 260
Garum 260
Grus 262

H

Hordeum 239

I

Ibis 262
Iecur 264
Ientaculum 235
Inteſtina 264
Iuniperi baccæ 254
Ius 241

L

Labruſca 250
Lac 265
amygdalinum 266
bubalum. ibid.
caprinum. ibid.
ouillum. ibid.
Lactuca 243
Lardum 258
Lauri baccæ 253
Lens 241
Lienes 264
Lingua. ibid.
Lucanica 258
Lupinus 241

M

Macer 254
Mala 245
Apyrina 247
Armeniaca. ibid.
aurea 246
citrea 247
cydonia. ibid.
dulcia 246
muſtea. ibid.
Perſica 247
Punica. ibid.
Mammæ, & ubera 264
Maza 242
Mel 268
Atticum. ibid.
Medulla ſpinæ 264
Merenda 236
Mergus 262
Merulus 261
Meſpila 249
Milium 241
Minutal 24[illegible]
Mithridaticum 27[illegible]
Mittilis 242
Mora 24[illegible]


Mo[illegible]




Moretum 268
Mulſum 268
Muria 260
Muſtum 269

N

Napi 243
Nux 252
Baſilica 252
Græca, Amygdalus 253
pinea. ibid.
Præneſtina, Auellana ibid.
unguentaria 254

O

Obſonium 237
Oculi 263
Offa 242
Oleum 275
uenafranum. ibid.
Oliuæ 252
Olus 242
Oriza 241
Oua 264
anſerina 265
cacuminata. ibid.
gallinaria 264
Ouum edurum 265
frixum. ibid.
recens 265
requietum. ibid.
tremulum. ibid.
Oſtrea 270

P

Palumbes 263
Panes Picentini 237
Panis 237
ater 238
furfuraceus 238
gradilis. ibid.
Mucidus. ibid.
ſecalicius. ibid.
ſiligineus 237
triticeus. ibid.
Partes animalium 263
Paſſer 261
Paſtinaca erratica 243
Paſſum 269
Pauo 261
Penus 235
Penus clauſa 276
Perdix 261
Perna 257
Petaſo. ibid.
Phaſelus 241
Piper 254
Piron 248


Piſa

Piſa 240
Piſcis 259
Piſtacia 253
Placenta 239
Polenta. ibid.
Poma 245
Porrum 244
Polus 235
Prandium 236
Pruna 248
Cerina. ibid.
Damaſcena. ibid.
Pulli gallinacei 263
Pulmentum 241
Pulmo 264
Puls 241

R

Raphanus 244
Rapum 243
Renes 264
Roſtra. ibid.

S

Saccarum 255
Sal. ibid.
Salgama. ibid.
Salſamenta 260
Scorpio 261
Scribleta 239
Serum 266
Similia 238
Sorba 249
Spira 239
Sportula 236
Sumen 257

T

Teſtudo 260
Theriaca 275
Tomaculum 259
Tubera 245
Turdus 261
Turdorum corona. ibi.
Turtur 262
Turunda 240

V

Vappa 274
Vinum 269
Albanum 271
auſterum 270
Baccaricum 273
Boiaricum. ibid.
Cœcubum 271
Ceretanum 272
Creticum 273
dilutum 274
dulce 270
Edentulum. ibid.
Falernum 271
Francicum 273
Fun-



Fundanum 271
Griantinum 273
Helenites 274
Mamertinum 272
Maſſilianum. ibid.
Neccaricum 273
Nomentanum 272
Pelignum. ibid.
Picatum 271
Rhenanum 273
Setinum 271
Signinum 272
Spoletinum. ibid.
Sulfuratum 274
Surrentinum 271
Tarentinum 272
Tarraconenſe. ibid.
Trifolinum 271
Volturenum 273
Vnguentum 276
Volua ſuilla 258
Vua 251
duracina. ibid.
immatura. ibid.
præcia. ibid.
ſpinea 252
Vuæ Apianæ. ibid.
Corinthiacæ. ibid.
paſſæ. ibid.
penſiles 251

Z

Zea 239
Zingiber 254
Zizipha 249
Zythum Cereuiſia. 275

FINIS.

BASILEÆ,
PER SEBASTIANVM HENRIC-
PETRI, ANNO SALVTIS NOSTRÆ
*recuperatæ* CIↃ. IↃ. LXXIIX.
*Menſe Martio.*


15 69